LORAS COLLEGE LIBRARY
STAC
873.3K4R255K, Ob. c1
Observationes criticae et exegeticae ad
3 0051 00400 6422

WITHDRAWN FROM
LORAS COLLEGE LIBRARY



Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/observationescri0000unse

Observationes criticae et exegeticae ad C. Valerii Flacci Argonautica.

Observationes criticae et exegeticae ad C. Valerii Flacci Argonautica.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

S. D. VAN VEEN

THEOL. DOCT. ET IN FAC. THEOL. PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM

ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

EGBERTUS HARMANUS RENKEMA

ZANODAMENSIS

DIE XII M. OCTOBRIS A. MCMVI HORA IV P. M.

TRAIECTI AD RHENUM

APUD KEMINK ET FILIUM

MCMVI.

COLUMBIA COLLEGE LIBRARY
31463
MAR 28 1930
DUBUQUE, IOWA

873.3K4
R255K
ob.

PARENTIBUS OPTIMIS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

DISSERTATIONIS AUCTOR.

Studiis academicis finem iam imposituro restat iucundissimum officium quo ut fungar non me traditus mos magis exhortatur quam impellit animus gratus atque memor.

Te primum appello, Clarissime Damsté, *promotor aestumatissime, qui non solum auctor mihi fuisti ut poetae de quo ipse optime es meritus, operam meam qualemcumque insumerem, sed consiliis me adiuvare, benevolentia devincire haud destitisti. Quanta tibi debeam, me numquam ingratum obliturum esse persuasum tibi habeto. Spero fore ut etiam in posterum studiis meis favere pergas.*

Vobis omnibus, Viri Clarissimi Van Herwerden, Kraemer, Van der Wijck, Vollgraff, Van Gelder, *quorum lectionibus per hosce annos interesse mihi contigit, maximas gratias et ago et habeo pro institutione vestra ac doctrina quam magno mihi fuisse usui libenter profiteor, pro comitate qua me semper estis prosecuti.*

Utinam in hoc numero te quoque superstitem alloqui liceret, praestantissime Van der Vliet! *Tuae eruditionis humanitatis benevolentiae tempus numquam delebit memoriam.*

Tuas denique, Vir Doctissime Morell, *de arte Graecorum lectiones grato animo recordor.*

Quintilianus loco notissimo, ubi agit de pueris erudiendis [1]), hanc quasi normam atque regulam docendi constituit, ut poetarum enarrationem praecedat emendata lectio. Quod quin vere et prudenter praescripserit plurimo usu expertus magister, quis sanus dubitet? Eadem vero verba si in illos transferuntur, qui in veterum scriptorum operibus melius intellegendis et in pristinum statum quoad fieri potest restituendis hodie elaborant, mihi semper visa sunt quodammodo claudicare, quia muneris varii ac multiplicis unam tantum describunt partem. Haud pauca enim emendari tum demum poterunt, ubi interpretatio diligens, quid rerum poscat contextus, certo exploraverit; neque desunt loci a multis pro corruptis habiti, quos, si in sermonem scriptoris aliquantum te insinuaveris quaeque eius propria sint animadverteris, aut nullo vitio inquinatos esse appareat aut non magno labore corrigere possis. Inde non inutile fecisse mihi videntur qui de singulorum poetarum dicendi genere quaestione instituta, ea quae indagaverant singularibus commentationibus composuerunt. Nam quid poetae de unaquaque re dicere licuerit, quid non licuerit, ipsius in similibus rebus loquendi more comparato optime diiudicatur.

Haec licet artem criticam exercenti numquam sint obliviscenda, haud scio an in nulla veterum scripta magis valeant quam in carmina epicorum Romanorum qui post Vergilium floruerunt eiusque

---

1) Inst. Or. I 4.

dispositionem atque elocutionem imitandam nec non rhetorum flosculis exornandam sibi proposuerunt. Imprimis Valerius Flaccus, cui in genere illo palmam iure optimo tribuere solent, tria habet peculiaria, quae maximam in textu eius recensendo exigunt circumspectionem. Audax est in collocatione verborum; dictionibus novis et insolitis orationem conformare minime verctur; ante omnia studet brevitati. Quibus rebus parum perspectis cum librarios tum criticos a vero interdum aberrasse vix est quod miremur. Si umquam alias, in hoc certe carmine enucleando enarrationem cum emendatione ita coniunctam esse oportet, ut quo scribendi genere usus sit poeta, penitus cognoscatur, et ii tantum loci, ubi lectioni vulgatae aut ratio aut Latinae linguae ingenium aut scriptoris ipsius consuetudo repugnat, coniectura tententur [1]).

Inde a renatis litteris Valerio edendo illustrando emendando complures viri docti strenue operam navarunt. Editionem criticam accurata codicum cognitione innixam primus curavit Georgius Thilo (anno 1863), qui librum Vaticanum 3277, saeculo nono scriptum, unicum in textu Argonauticon constituendo ducem esse voluit, ita ut, sicubi ceteri codices bonam scripturam praeberent quae non esset in V, eam non pluris aestimandam affirmaret quam cuiuslibet docti hominis emendationem. Eandem rationem secuti sunt editores Schenkl (1871) et Baehrens (1875), quorum ille caute et considerate, hic, quamvis ingeniose, tamen iusto audacius nonnumquam, in maculis Vaticani detergendis est versatus.

---

1) Verum de poeta nostro iudicium tulit Madvig (Adv. Crit. II p. 134): „Adeo saepe tumidam habet sententiarum et imaginum formam, adeo molestam et affectatam elocutionem, ut difficile multis locis sit statuere, quid poetae ipsi tribui debeat, enarratione utcumque leniendum, quid scribarum errori, in qua dubitatione cautiorem partem sequi par est."

Commentario idoneo Argonautica caruerunt usque ad annum 1896. Eo anno prodiit utilissima P. Langenii editio, qua continetur variarum observationum partim ad sermonem Valerianum partim ad poeticum usum dicendi pertinentium thesaurus copiosissimus. Sed hoc dolendum est, quod ad coniecturas violentiores nimis saepe confugit et poetae ipsius verba haud raro sollicitavit. De codice Carrionis, quem optimum veterrimumque omnes ante Thilonem iudicaverant, Thilo ex V descriptum esse exposuit, Langen Kelleri et Hartelii vestigiis insistens mediam quandam opinionem servavit, descriptum esse ex libro qui ipse quidem ortus esset ex Vaticano, sed ex altero fonte correctus.

J. B. Bury anno 1900 cum Valerium denuo ederet (quam editionem suo Corpori Poetarum Latinorum inseruit Postgate), primus in usum suum convertit quod A. C. Clark paulo ante demonstraverat: codicem Sangallensem saeculi XV., cuius apographa tempus tulerunt, non descriptum esse ex Vaticano, ut Thiloni visus erat, sed eiusdem Vaticani fuisse gemellum.

Denique tertio hoc anno Argonautica recognovit C. Giarratano. Is codicum lectionibus diligenter comparatis Clarkii opinionem novis argumentis comprobavit. Quam ob rem in textu recensendo hanc sibi legem constituit, ut Sangallensis apographa adhiberet ubi Vaticani lectio aperte esset corrupta; ubi lectio cum Vaticani tum Sangallensis haud dubie depravata esset, codicem Carrionis, sed cautissime, consuleret. In hoc quoque a plerisque editoribus differt, quod scripturis traditis quam maxime servatis raras admittit emendationes.

Quamquam tot virorum doctorum coniuncta opera effectum est ut crebri loci Valeriani emendatius hodie legantur et rectius intellegantur quam patrum memoria fieri solebat, tamen in carmine et impeditissimo et corruptissimo multa adhuc interpretem aut correc-

torem suum exspectare facile agnoscitur. Itaque operam non perditurus mihi videbar si ea quae Argonautica perlegens aut nondum satis intellecta aut nulla adhuc coniectura probabili sanata aut sine necessitate sollicitata reperiebam, pro virili parte tractare conarer. Locos tamen complures haud dubie depravatos, quorum restitutionem viribus meis parum aptam esse sentiebam, intactos relinquere quam temere tentare malui.

Iudicibus aequis si qua bona in hoc libello inesse videbuntur, sat gaudii et voluptatis ex labore meo percepero.

LIBER I.

Ad vs. 16.

Poeta ut in magno opere componendo magnos deos habeat propitios, primum Apollinem invocat, vatibus amicum, cuius ipse sacerdotium gerit, deinde praesens numen Vespasiani ut faveat sibi veterum facta canenti supplex adorat. Multus est in laudibus et ipsius imperatoris et filiorum, quorum Tito gloriam fecit virtus bellica, Domitianus felix ingenium ad poesin potissimum convertisse praedicatur. Ille, ait, i. e. Titus, qui, ut maior natu, in patris locum aliquando succedet,

> ille tibi cultusque deum delubraque genti
> instituet, cum iam, genitor, lucebis ab omni
> parte poli. neque enim Tyriis Cynosura carinis
> certior aut Grais Helice servanda magistris,
> si tu signa dabis; sed te duce Graecia mittet
> et Sidon Nilusque rates.

Eas difficultates quae insunt in vs. 15 et in vs. 19 sqq., nunc non tangam, quia satis iam ab aliis docte fuseque de iis est disputatum. Hoc tantum monitos velim legentes, in citando vs. 19, ubi codicum scriptura haud dubie corrupta est, Baehrensii editionem me secutum esse. De vs. 16 quid mihi videatur, breviter exponam.

Verba ab omni parte poli, quae quid sibi velint, nemo adhuc dicere potuit, Heinsio iam molesta fuerunt, quam ob

rem in codice suo adscripserat: ab alta arce poli. Violentior est correctio quam quae recipi possit. Haupt (Herm. III 214) alti coniecit, ita ratiocinatus: „Dicere potuit Valerius Vespasianum post mortem lucidum sidus esse futurum, sed uni omnia sidera ne ineptissima quidem adulatione tribuere potuit.... Depravationis causam non intellego neque ut intellegam multum laboro in perspicua emendationis necessitate." Baehrens denique proposuit almi.

Qui versum emendare conati sunt, non satis attendisse mihi videntur ad ea quae mox sequuntur, quibus ipse quid vellet, accuratius poeta definivit: „neque enim Tyriis Cynosura carinis certior aut Grais Helice servanda magistris." Cur enim nautae in cursu dirigendo nulli sideri certius confidunt quam geminis ursis? An quia ceteris stellis sunt lucidiores? Non opinor. Sed responsum dabit nobis Tiphys Argonautarum gubernator:

atque dei non illa sequi mihi sidera monstrant,
quae delapsa polo reficit mare: tantus Orion
iam cadit, irato iam stridit in aequore Perseus:
sed mihi dux, vetitis qui numquam conditus undis
axe nitet serpens septenosque implicat ignes (II 61 sqq.)

Hanc igitur ob causam Helice et Cynosura omnibus astris praeferuntur, quod in undas aequoreas nunquam demersae semper in eadem caeli parte conspiciuntur. Iam apparet vocabulum parte non mutandum esse et pro omni requiri aliud adiectivum, quod ad parte, non ad poli pertineat; nam a parte poli nihili est, nisi additur de quali parte sit cogitandum. Erunt fortasse quibus placeat ex coniectura Heinsiana solum alta recipere; at vero satis ineleganter dictum esset ab alta parte poli, neque quae corruptelae origo fuerit, sic facile intellegitur. Contra, si rescribimus id quod mihi in mentem venit: ab ampla parte poli, habemus quod neque

a tradita scriptura nimis recedat neque poeta indignum videatur. Non semel principes ita adulantur poetae, ut illis in sidera mutatis vetera signa loco cessura esse augurentur, quo magis novum iubar sit conspicuum. Sic Verg. Ge. I 34, Stat. Theb. I 24 sqq.; cf. et Lucan. I 58.

Ad vs. 49.

Pelias rex, quo acrioribus stimulis animum Iasonis excitet ad aureum vellus repetendum, fingit Phrixum in Colchide terra crudeliter esse obtruncatum.

Non nuntia tantum
fama refert: ipsum iuvenem tam saeva gementem,
ipsum ego, cum serus fessos sopor alligat artus,
aspicio, lacera adsiduis namque illius umbra
questibus et magni numen maris excitat Helle.

Recte observavit unus alterve vir doctus namque vocabulum probari non posse, cum altera sententia non explicationi prioris inserviat, sed novum aliquid addatur: Pelian visa umbra lacerata ex somno excitari. Baehrens in editione sua scripsit tumque.

Codex Carrionis, quem plurimis locis, qui leviore medicina egebant, coniecturis temerariis vexatum esse constat, haec praebet: meque adsiduis lacera illius cett. Unde fluxit lectio quam suadente Loehbachio Langen et Bury in textum receperunt: lacera adsiduis meque e. q. s.

Facilius et, nisi fallor, verius locum restituere licet legendo iamque. Iam et nam saepissime inter se confundi cum res ipsa declarat tum Schenkl (Studien z. d. Arg. p. 347) exemplis ex Valerio petitis comprobavit. Accedit quod aliis quoque locis apud nostrum invenitur iamque uni vel duobus vocabulis postpositum (II 168, V 84, VII 310, 449).

Ad vs. 56.

Ipse — sic pergit tyrannus dolosus — nimium provectus sum aetate necdum filii mei iuvenile aevum tantae rei suscipiendae capax est.

> Tu, cui iam curaeque vigent animique viriles,
> i decus et pecoris Nephelaei vellera Graio
> redde tholo ac tantis temet dignare periclis.

Initium versus 56, sive post decus sive (quod primus suasit Burmannus) post imperativum interpungimus, suspicionem minime effugit. Nam prorsus caret exemplo vocativus decus sine attributo positus neque insulsum ἓν διὰ δυοῖν „decus et pecoris Nephelaei vellera" poetae obtrudere ausim. Non magis placet quod Heinsius excogitavit: in decus i.

Ecquid scripsit Valerius:

> i, precor, et pecoris Nephelaei vellera Graio
> redde tholo.

Per haplographiam quae dicitur, precor facillime excidere potuit; deinde sciolus, cui parum opportune in mentem venerat Vergiliani illius „i, decus, i, nostrum", lacunam explere sibi visus est.

Ceterum cf. VII 162:

> i, precor, atque istum, quo me frustratur, amorem
> vince.

Ibid. 240:

> i, precor, atque illum pro me dimitte timorem.

Ad vs. 58 sqq.

> Talibus hortatur iuvenem, propiorque iubenti
> conticuit certis Scythico concurrere ponto
> Cyaneas tantoque silet possessa dracone
> vellera e. q. s.

Sic Vaticanus, procul dubio corrupte. Vulgo editur cum libris deterioribus certus.

Baehrens post verba „talibus hortatur iuvenem" admodum frigere putat „illud conticuit tam nude positum"; quam ob rem, ut ad silet, ita ad conticuit obiectum quoddam additum esse voluit. Itaque certas coniecit, interpretatus certas concurrere Cyaneas: „Cy. quae certe concurrent." Hanc rationem, quam et Giarratano amplectitur, si sequemur, conticuit non a verbo conticescere, sed a conticere erit derivandum, ut III 302. At quod dicit uterque editor, conticuit sine obiecto languere, in eo viris doctis non assentior. Neque enim Pelias iubenti propiorem se ostendit eo, quod de Cyaneis et de dracone tacet, neque in verbo conticuit vis sententiolae omnino inesse videtur, sed hic sensus est: in orationis initio rex hortabatur et petebat, cum vero conticesceret, postulantis iam ac iubentis magis quam exhortantis habitum gerebat. Unde facile apparet obiectum ad conticuit ferri non posse.

Vulgata autem lectione recepta sententiae non magis satisfit quam verborum structurae. Ne Loehbach quidem, quamvis ingeniose cautis rescribi iubens, omnem loci difficultatem sustulit; nam asyndeton hortatur—silet, quo contrarium optime efferri arbitratur Langen, propter intervenientia propiorque—conticuit mihi quidem admittendum esse non videtur. Huc potius inclino, ut credam participium antiquitus scriptum fuisse; quod habebis, si mecum legeris celans; id verbum enim cum acc. c. inf. iunxit Cic. Att. XI 24_2.

Quae si recte disputata sunt, in proximo versu corrigere praestat silens totumque locum ita refingere:

talibus hortatur iuvenem propiorque iubenti
conticuit, celans Scythico concurrere ponto

Cyaneas tantoque silens possessa dracone
vellera.

De -t et -ns terminationibus in Vaticano haud raro permutatis cf. Schenkl l.l. p. 340.

Ad vs. 149.

Postquam descripsit poeta quibus picturis Argo navis fuerit ornata, haec addit:

Haec quamquam miranda viris, stupet Aesone natus
et secum: 'heu miseros nostrum natosque patresque!
hacine nos animae faciles rate nubila contra
mittimur? in solum nunc saeviet Aesona pontus?
non iuvenem in casus eademque pericula Acastum
abripiam? invisae Pelias freta tuta carinae
optet et exoret nostris cum matribus undas.'

In primo versu multi offenderunt in mirari et stupere verbis, quae licet propter sensus similitudinem saepius apud poetas copulentur (vide e. g. quae ad hunc locum exempla congessit Samuelsson), hic tamen novo modo inter se opposita videmus. Coniecturas at vix stupet (Eyssenhardt), minus stupet (Koch) iure suo reiecit Thilo, qui observat stupendi verbo, quod summum admirationis gradum significet, adverbium minus non recte addi. Eodem argumento facile refutatur quod proposuit Baehrens nihil stupet. Neque aliorum vv. dd. tentamina, quae exscribere omnia non lubet, sanam sententiam restituunt.

Qui lectionem traditam tuentur, solent interpretari stupet: attonitus, obstupefactus est, sive transitivo sensu iungunt haec stupet sive intransitive accipiunt. Priorem rationem esse improbandam et ad miranda subaudiendum esse verbum substantivum intellexerunt et alii et Langen, qui praeter

necessitatem (cf. vs. 210: vox horrenda viris; vs. 229: non pallore viris, non ullo horrore comarum terribilis) scripsit mirata. Ph. Wagner, cui calculum suum adiecit novissimus editor Giarratano, quid interesse putet inter mirari et stupere hoc modo indicat: alterum verbum exprimere „die schweigende Theilnahmlosigkeit des in seine Sorgen versenkten Iason".

Duobus vocabulis quae communis loquendi usus tam arto limite discernit, ita hoc loco usum esse poetam ut alterum alteri esset contrarium, equidem mihi persuadere non possum. Correctionem, ut opinor, subiciunt ea quae mox sequuntur. Nam quae secum reputasse Iason narratur, non sunt stupentis et quasi torpentis, sed dolentis et indignantis (vs. 151: nos animae faciles) et cum cura suae salutis inimici ulciscendi cupiditatem iam coniungentis. Quid multa? suspicor Valerium dedisse tumet. Dum socii mirantur imagines, dux solus fucata specie non captus tumet atque aestuat ira.

Cf. initium libri sexti:

> At vigil isdem ardet furiis Gradivus et acri
> corde tumet.

Stat. Theb. XI 378: iam iamque tumentem
placavi tibi saepe patrem.

Cf. Stat. Silv. II 1_{58}.

Ad vs. 198 sq.

Nave deducta Iason pacem veniamque Neptuni rite invocat:
scio me cunctis e gentibus unum
inlicitas temptare vias hiememque mereri:
sed non sponte feror, nec nunc mihi iungere montes
mens tamen aut summo deposcere fulmen Olympo.

Pro codicum scriptura tamen vetustae editiones exhibent

tumet, Baehrens ex Harlesii libro revocavit avet. Thilo ad librorum fidem rediit, eandem fere vim habere particulam affirmans quam certe („doch wenigstens"). Iis autem locis, quos citat Thilo ad interpretationem suam probandam, non multum tribuendum videtur; ubique enim (II 641, III 290, 696) tamen legitur in initio sententiae, cui quid sit oppositum, mente facile suppletur.

Sed molestia haud minor in voce nunc inest. Numquo alio tempore caelum affectavit Aesonides vel affectare in animo habuit? Merae nugae, quas tamen retento nunc evitare nullo modo possumus. Quantocius tu substantivo mens suum redde locum, unde ab inepto illo nunc nimis diu expulsum fuit. Quo facto versus sequentis emendatio sponte se offert:

nec mens mihi iungere montes
montibus aut summo deposcere fulmen Olympo.

Si tanti est, conferas quaeso huius libri vs. 165: socium te iungere coeptis est animus; III 255: nec terga ruentum mens Minyis conversa sequi.

Ad vs. 387,
ubi recensentur ii qui itineris participes sunt futuri:

quin etiam Herculeo consurgit ab ordine Tydeus e. q. s.

Langen adnotat: „Particulae Vat. traditae quid sibi velint hoc loco, nemo opinor dicere poterit; scripsi quis contra."

Ego hanc locutioni vim inesse puto, ut in singulis viris enumerandis cum pondere quodam et gravitate ab alio ad alium nos traducat. Eaedem sunt partes copulae quin et in huius libri vs. 468 et VI 79 et apud Verg. Aen. VII 750, VI 777. Paulum ab hoc usu distant loci quales sunt Val. V 455, Hor. Carm. I 10_{13}. Ea proferre exempla consulto praetermisi, ubi sequitur imperativus, ut Aen. VI 824.

Ad vs. 520.

Ceteris divis audaci incepto faventibus unus Sol de iniuria filio suo illata gravissimis verbis expostulat:

Quid Minyae meruere queri? num vellere Graio
vi potitur?

Summers (Study of the Arg. p. 46) locum inter eos citat, ubi praesens tempus perfecti vice fungatur. Cui non adstipulor, propterea quod verbum hoc loco non valet „invadere in alicuius rei possessionem", verum „in potestate sua aliquid retinere", quo sensu legitur apud Ovid. Metam. XIII 130 in armorum iudicio:

tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille.

Cum forma tertiae, quam dicunt, coniugationis conferantur apud Valerium VI 469, VII 54 nec non locus Vergilianus, quem nostro loco poetae obversatum esse suspicor, Aen. III 56:

Polydorum obtruncat et auro
vi potitur.

Ad vs. 524.

Phrixo supplici agmina iungere et cum manu armata Graeciam invadere noluit Aeetes,

imperii sed parte virum nataeque moratus
coniugio videt e Graia nunc stirpe nepotes
et generos vocat et iunctas sibi sanguine terras.

Versum 524 prope omnes vv. dd. corruptum iudicaverunt varieque emendare conati sunt.

Primum audiamus Burmannum: „Versus obscurissimus, sed forte legendus: et genero vocat et iunctas sibi sanguine terras. Terras, id est Graeciam, vel eius potius reges et proceres, genero suo Phrixo iunctos sanguine, etiam sibi vocat coniunctos et eodem habet loco". Quam coniecturam,

nisi ipse Burmannus adscripsisset quid sibi vellet, num quisquam ita intellecturus fuerit, valde dubito.

Baptista Pius mavult: videt — nepotes et generis vocat, sc. sui. Quasi de nepotum cum avo cognatione vel inter eos qui maxime omnium scepsi dediti fuere, umquam dubitatum sit!

Editionem Aldinam qui curavit, velut alter Alexander nodum inexplicabilem gladio perrumpens haec iussit excudi: Graiorumque vocat iunctas s. s. t.

Inter ea quae recentiores proposuerunt, cum Thilonis inventum et generi vocat adiunctas s. s. t. tum Schenklii et genero vocat has iunctas s. s. t. displicet propter duplicem dativum (nisi forte generi genitivum esse voluit Thilo). Speciosius quam verius Baehrens coniecit en teneros.

Ut meam quoque sententiam proferam, nullo mendo laborare versus mihi videtur, quamquam Summersio, qui traditae scripturae causam suscepit, minime assentior vertenti: „calls for sons in law and invites the lands united in blood to himself (to send them)". Quae plaudente Giarratano sic explicat Summers (l. l. p. 71): „The meaning surely is, that Aeetes is ready to wed his other daughters (he only had one, but Chalciope was a widow) to Greek husbands. In the mouth of Mars" (leg. Sol) „and in the face of what was to happen to Medea, there would be some irony in this." At enim ironia qualem loco nostro agnoscit vir doctissimus, ad orationis contextum parum quadrat. Num idcirco Phoebus in ultimo orbe terrarum asperrimo caelo natum suum supposuit (vss. 512—516), ut Graecos ille in hospitium conubiumque ultro arcesseret? Immo nihil magis exoptat quam ut invidae gentis commercio terra Scythica in perpetuum careat (vs. 509). Itaque id agit ut ostendat non esse cur iter a nullo ante tentatum

suscipiatur, nihil omnino admisisse Aeeten quo Graecos laeserit, immo affinitatis vinculis cum iisdem esse coniunctum. De unius Phrixi matrimonio agitur, quo cuncti Graeci dici aliquatenus possunt generi Colchorum vel Aeetae. Quod, quamvis alii iam contulerint Verg. Aen. VII 98, 270, XII 658, tamen nescio an aliquanto magis eluceat ex Aen. XI 105, ubi dubium esse nequit quin hospites et soceri Aeneae sint cives Laurentes. Longe aliter res se habet in vs. 745 huius libri et II 594, ubi pluralis debetur superlationi poeticae (ut apud Verg. Aen. X 79).

Hoc denique moneo, ad verba quae sunt generos vocat obiectum Graios ex versu superiore eo promptius mente addidisse poetam, quia in iis quae praecedunt, de ipsis Minyis sermo fuerat. Non potuit exspectare futuros qui (ut fecit Pius) praedicatum generos vocat ad nepotes referrent. Similiter variavit Verg. Aen. I 277.

Ad vs. 552.

Iuppiter in deorum concilio fatorum ordinem pandens praedicit primam navigationem secutura esse bella multa et gravia, donec rerum habenae ad certos aeternosque dominos tandem pervenerint. In quo numero Troiae obsidio his verbis describitur:

> qua classe dehinc effusa procorum
> bella, quot ad Troiam flentes hiberna Mycenas,
> quot proceres natosque deum, quae robora cernes
> oppetere et magnis Asiam concedere fatis.

Non erat cur Thilo vocabulum procorum sollicitaret: notissimum est enim, qui proci Helenae quondam fuerant (sic recte interpretatur Langen), eosdem iure iurando obligatos postea profectos esse ad pulchram Tyndarida armis repetendam (Apollod. III 10_9).

Baehrensio, cui quod traditur flentes admodum mirum visum est, quare stantes proposuit, hoc libenter concedo, de fama heroum illorum non nihil detrahi, si inducantur in fletus muliebres effusi de infinitis stipendiis sine modo conquerentes. Attamen, si quid video, non Valerius in culpa est, sed interpretes, quorum, quantum scio, nemo non iunxit ad Troiam flentes. Mihi sic potius verba construenda esse videntur: quot ad Troiam hiberna flentes Mycenas, ut vocabulo Mycenas non designetur exercitus Mycenaeorum, verum imbellis multitudo quae domi remansit. En habes in una periodo omnia apte inter se composita: milites ad bellum proficiscentes, propinquos in patria relictos, pugnae labores et discrimina, victoriam multorum sanguine partam.

Ad vs. 563.

Ubi ex siderea sede ad mare Aegaeum oculos convertit, Herculem et fratres Ledaeos, filios suos, in Argonautarum cohorte Iuppiter aspicit. Quos et ipsos caelo olim deberi significans: tendite, inquit,

> tendite in astra, viri: me primum regia mundo
> Iapeti post bella trucis Phlegraeque labores
> imposuit: durum vobis iter et grave caeli
> institui e. q. s.

Quae totius loci sententia ac mens sit, nemini opinor obscurum esse potest. Quemadmodum Iuppiter non ante devictos Titanes et Gigantes rex impositus est mundo, ita filiis suis arduum caeli aditum praeeundo instituit. Hunc sensum ex vulgata lectione elicere conatus est I. A. Wagner, qui regiam caeli intellegit eamque pro deorum concilio dici potuisse affirmat coll. vs. 668, Verg. Ge. I 503, Aen. VII 210. Quod satis iam refutavit Hirschwaelder (Curae Crit. in V. Fl.

Arg. p. 13). In Ph. Wagneri explicatione, quae, si nihil aliud, at certe propriam verborum vim observavit („die regia caeli, mit deren Besitz die Herrschaft dêr Welt verbunden war, weshalb auch Iuppiter κατ' ἐξοχήν der Olympier heisst") offendit nimia brevitas, cum substantivum regia participio, quale est capta vel defensa, aegre careat.

Neque defuerunt qui recepto mea, quod pro me praebent libri deteriores, regiam interpretarentur regiam potestatem (ut est vs. 668, V 67). Sic Burmannus coniecit mea frenum regia mundo — imposuit, Schenkl mea demum regia mundo — imposita est, Langen mea victo r. m. — imposita est.

Ut taceam de ceteris omnibus qui locum depravatum sanare conati sunt, non possum silentio praeterire Hirschwaelderi coniecturam, qui regia pro adiectivo habens perlevi mutatione facta ita rescripsit: me primum regia mundo — vis posuit, neque tamen correctionem suam mihi probavit. Nam, nisi primum „principem, regem" significare statuimus, desideratur substantivum quod dicitur praedicativum, quo carere potest verbum imponere [1]), ponere non item. Si regia adiectivum esse concedimus, magis in promptu est pro vocabulo primum, quod si abesset, nemo profecto requireret, legere virtus vel tale quid; sed quomodo id vitium nasci potuerit, haud facile explicabitur.

Suspicio mihi incidit, in ipso illo regia quod tantas turbas movit, sedem corruptelae quaerendam esse. Rogo igitur ut mecum scribas:

---

1) Hoc si fit, imponere idem valet quod praeponere, ut est apud Tacitum Ann. II 5, 43, IV 57, VI 11, 39, XIII 29. Per zeugma dixit Val. VI 742:

quem (Persen) genitor Colchis solioque imponere fratris
iam statuit.

me rerum gratia mundo
Iapeti post bella trucis Phlegraeque labores
imposuit.

Saepius a librariis ita peccatum esse nemo ignorat, ut una pluribusve litteris neglectis duo vocabula in unum contraherent. Hic pro rerum gratia, quod compendio sic scriptum fuit: reī grā, substituerunt regia, quo facto, ut metro subvenirent, primum sive ex nota margini adscripta sive ex suo ingenio addiderunt.

Gratia rerum est gratia, quam Iuppiter rebus gestis apud ceteros deos iniit. Res eo sensu admodum usitatum Valerio, cf. I 99, 102, II 381, III 680. Si quis pro gratia mavult gloria (reīglā), non nimis adversabor, quamquam quod ego reponendum puto, firmari quodammodo videtur Hesiodi narratione (Theog. 881):

αὐτὰρ ἐπεί ῥα πόνον μάκαρες θεοὶ ἐξετέλεσσαν,
Τιτήνεσσι δὲ τιμάων κρίναντο βίηφι,
δὴ ῥα τότ' ὦτρυνον βασιλεύεμεν ἠδὲ ϝανάσσειν
Γαίης φραδμοσύνῃσιν Ὀλύμπιον εὐρύοπα Ζῆν'
ἀθανάτων.

Ad vs. 609.

Boreas ceterique venti, qui maris arbitrium sibi ademptum dolent, ab Aeolo rege tempestatum flagitaverunt ut insanam ratem in pontum demergere liceret.

Tum validam contortam turbine portam
impulit Hippotades. fundunt se carcere laeti e. q. s.

Imitatores Vergilii, ubi describendae erant res a summo poeta iam praeceptae, haud raro ita descripserunt, ut quae ille plane ac simpliciter narraverat, ipsi dedita opera exornare et amplificare studerent. Inde nascitur nonnumquam, quae neminem

carmina epicorum Romanorum posterioris aetatis paulo attentius perlegentem fugere potest, nimia quaedam in rebus levibus et minutis subtilitas. Cuius rei documentum est cum tota apud Valerium narratio eorum quae in Aeoli insula gesta sunt, tum locus hic quem supra exscripsi, quo quid poeta voluerit nondum satis intellectum mihi videtur.

Codicum quam dedi scripturam corruptam esse quivis videt; ambigitur de emendandi ratione. Fuere qui valido contortam ederent, alii restituunt validam contorto, quod unice verum esse credo. Nam, ut omittam quod simili loco legitur (II 272):

(Hypsipyle) impulit acri
tum validas stridore fores,

multo maius argumentum ad manum est, si inspicimus Vergilii verba, quae locus noster imitando exprimit (Aen. I 81):

Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
impulit in latus; ac venti, velut agmine facto,
qua data porta, ruunt et terras turbine perflant.

Porta fit apud Vergilium simulatque Aeolus hasta sua percussum montem aperuit; Flaccus portam quae iam ante fuit, a rege impelli facit contorto turbine. Ad quae Langen: „turbo hoc loco est cardo, quo ianua vertitur, vel ut artis vocabulo utar, cardo masculus, qui cardini feminae immissus torquetur: nihil aliud igitur dicit Valerius quam Aeolum portam aperuisse, ut Verg. Aen. IX 724 habet haec: portam vi magna converso cardine torquet."

Equidem de cardine poetam cogitasse pertinaciter nego. Valerius Aeolo suo, etsi potentia atque auctoritate Vergiliano longe est inferior (cf. vs. 594 sqq. cum Aen. I 63), regni tamen insigne attribuit amplius magisque conveniens. Ut Iuppiter tonitruum moderator saeva fulmina torquet, ita regi

nimborum et tempestatum pro telo est turbo. Eodem igitur sensu turbo usurpatur quo II 90, IV 262, 452. Hastae vel iaculi specie turbinem sibi fingere non nimis audax videri poterat poetae qui Iovem induxit quatientem imbrem (I 82) vel hiemes (II 22, cf. Verg. Aen. IX 670).

Peerlkamp, cui turbine in cuspide mutare placuit, sensit ille quidem nostrum locum cum loco Aeneidos vinculo quodam cohaerere; quale autem esset id vinculum, non perspexit.

Ad vss. 779—786.

Cretheus ex inferis evocatus nato et nurui auctor fuit ut necem a Pelia sibi intentatam voluntario fine anteverterent. Probato consilio senes sanguinem bibere statuerunt tauri qui interrupto sacrificio superstes ad aras relictus erat.

Hunc sibi praecipuum gentis de more nefandae
Thessalis in seros Ditis servaverat usus,
tergeminam cum placat eram Stygiasque supremo
obsecrat igne domos iam iam exorabile retro
carmen agens; neque enim ante leves niger avehit umbras
portitor et cunctae primis stant faucibus Orci.
illum ubi terrifici superesse in tempore sacri
conspexit, statuit leto e. q. s.

Maxima est inter eos qui de his versibus disputarunt, sententiarum diversitas. In hoc tamen omnes fere consentiunt, vs. 781 cum duobus libris manuscriptis legendum esse tum. Quo facto cum viam ad verba poetae recte intellegenda ipsi sibi praeclusissent, quid mirum omnia expertos ut tolerabilem saltem contextum efficerent, alios versuum ordinem varie mutasse, alios versus aliquot tamquam spurios damnavisse? Thilo, cui postea haec carminis pars a poeta nondum perpolita

videbatur, olim vss. 779 et 780 Valerio abiudicavit, 781—784 transposuit post vs. 815; quem secutus est Baehrens in editione sua. Schenkl totum locum 779—784 uncinis inclusit; Langen vs. 779 sq. de interpolatione suspectos habens, vss. 781—784 post 818 aptius inseri posse censuit. Denique Hirschwaelder lacunam statuit inter vss. 780 et 781.

Ordo rerum narratarum cur tantopere offenderit viros doctos, me non intellegere ingenue fateor. Verbis tergeminam—Orci explicari illa in seros Ditis usus recte vidit solus, quod sciam, Koestlin in Philol. vol. 48 p. 654. Ceteri omnes fere dum vss. 781—784 ad Aesonis et Alcimedes umbras pertinere putant, quibus, cum se ipsi interficiant, non statim ad inferorum sedes adire liceat nisi ultimo sacrificio deos infernos placaverint, de subiecto verbi placat parum consentiunt. Contra si, ut fecit Koestlin, scripturam cum retinemus, subiectum est Thessalis sive Alcimede, quae unum taurum reservavit, quem, nisi tristi nuntio sacra essent interrupta, ex artis praeceptis rite immolatura erat ut sollemni carmine recitato umbram Crethei in sua loca reverti cogeret. Nisi hi sunt seri Ditis usus, quid, quaeso, sunt? Nam si ea quoque verba ad ipsorum senum exitum trahere velis, equidem rogo: quomodo dici potest Alcimede taurum sibi reservasse ad id quod, cum aras relinqueret, futurum esse adhuc nesciebat? Deinde, quia taurum seposuit Thessalis gentis de more, et quia imploratur tergemina era, fieri non potest quin de incantatione ad finem nondum perducta cogitemus, quamquam non sum nescius Hecaten interdum esse ψυχοπομπόν (ut Stat. Theb. IV 481, cf. Soph. O. C. 1548). Accedit quod de poena quadam, quam Aeson et Alcimede morte voluntaria meruerint, neque Cretheus (vs. 750 sq.) neque ipse poeta (vid. praeter locum nostrum vs. 835 sqq.) ne verbum quidem addit; Aeson satis habet

invocare manes patris aliorumque defunctorum ut in sedes piorum placidi se excipiant.

Hac re primum expedita omnia bene procedunt. Quod Schenklio molestum fuit, et illum (vs. 785) et hunc (779) ad taurum (775) referendum esse, ea difficultas iam remota est, cum sit unum enuntiatum hunc—Orci. Neque Langenii dubitationes, quas protulit ad vs. 785, multum valent. Aeson taurum, quem ab uxore relictum conspexit, ipse statuit leto, sc. suo, i. e. constituit ut sibi esset mortis instrumentum. Vere monet Dureau Delamalle: „Éson n' avait pas besoin de prononcer la mort de ce taureau; il n' était là que pour être immolé."

Si quis autem arbitratur, cum explicativum quod vocant, ubi imperfectum vel plusquamperfectum sit in sententia primaria, iungi non posse cum primario tempore (praesenti, futuro, perfecto logico), inspiciat libri sexti vs. 529 sqq., ubi post plusquamperfectum dispulerant verba fraude nova ita explicantur:

frontem cum cornibus auxit
hispidus inque dei latuit terrore Lyaei. [1])

---

1) Non satis est afferre locos quales sunt apud Vergilium Aen. IV 522:

Nox erat et placidum carpebant fessa soporem
corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
aequora, cum medio volvuntur sidera lapsu,
cum tacet omnis ager e. q. s.

et ibid. VIII 407:

Inde ubi prima quies medio iam noctis abactae
curriculo expulerat somnum, cum femina primum,
cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
impositum, cinerem et sopitos suscitat ignis e. q. s.,

ubi agitur in sententia temporali de iis quae semper et ubique fiunt, quae non magis facta sunt eo tempore quod poeta describit quam ipsius Vergilii aetate, cum Valerius indicare voluerit certorum hominum mores aç consuetudines.

Restat ut sententiam meam aperiam de verbis illis quae non immerito crucem interpretum dixeris: iam iam exorabile retro carmen agens. Giarratano in prolegomenis copia amplissima variarum explicationum collecta liberum dat eligendi arbitrium. Non pauci Schenklii iudicio accesserunt: „retro, mit dessen Erklärung man sich umsonst abgemüht hat, ist einfach verderbt." Quam ob rem Ph. Wagner proposuit Leto, Baehrens Averno; Langenio quoque rite ex Braunii coniectura recipienti retro sana sententia carere videtur. Ego magis explanatione quam emendatione locum egere censeo.

Supra exposui, quare vs. 781 sqq. παλινῳδίαν a poeta descriptam esse credam. Quod autem voluit Koestlin l.l., eam παλινῳδίαν indicari potuisse his verbis carmen retro agens, nego illud vere dici. Si omnino verba ita coniungenda sunt: retro agens carmen exorabile, alius iis sensus inesse vix potest atque hic, quem exemplis instruxit Samuelsson: „carmen ita legere, recitare, ut a fine versus vel carminis retrorsus per singulas syllabas aut per singula verba replicetur." Cf. quae observat Seyffert in Langenii addendis: „noch heute herrscht der Aberglaube, dass die rückwärts gelesene Beschwörungsformel den Beschworenen entfernt." Nescio tamen an sententiae accommodatior sit interpretatio quae, cum primum hunc versum legi, vera mihi esse videbatur neque nunc displicet, quam ob rem virorum doctorum arbitrio subicere eam haud dubito.

Locutionem agere carmen per se claram esse ac plenam neque artius eam finiri opus esse docet lib. IV 87, ubi Orpheus securum numeris agit et medicabile carmen.

Idem est ac carmina volvere (III 408). Sic nostro loco sacerdos agit carmen exorabile retro, i. e. carmen

quo exoratur Orcus ut manes emissas in pristinas sedes redire patiatur. Qua interpretatione admissa exorabilis desinit esse merum epitheton ornans, cum exorabile retro dictum sit pro carmine reditum exoranti. Vide quam apte nunc cohaereant sequentia:

neque enim ante leves niger avehit umbras
portitor et cunctae primis stant faucibus Orci.

LIBER II.

Ad vs. 99.

Vulcanum caelo devolutum Lemnii hospitio diligenter exceperunt, ex quo tempore libentissime deus in ea insula versatur et praecipuo honore colitur.

Contra Veneris stat frigida semper
ara loco, meritas postquam dea coniugis iras
horruit et tacitae Martem tenuere catenae.

Misere sententiam corrumpit illud loco, in quo neminem adhuc offendisse valde miror. Nam quod ara neglecta dicitur stare loco, id ita demum intellegerem, si antea solita esset sacrificandi causa circumferri. Burmannus interpretatur: „eodem semper statu manere"; sed locus quem affert III 121 „statque loco torus" nihil aliud significat nisi torum nondum a ministris esse remotum. Quid sit stare loco, docent Lucan. I 145, Verg. Ge. III 84. Idem est apud nostrum VI 23 esse loco. Opponitur cedere loco III 210.

Haud dubito quin leni correctione restituendum sit foco. Focus enim vel foculus est summa pars arae ad recipiendum ignem excavata, quam ἐσχάραν Graeci dicunt (cf. Schol. ad Eur. Phoen. 274 *βώμιοι ἐσχάραι· τὰ κοιλώματα τῶν βωμῶν*). Vid. Daremberg et Saglio fig. 3118.

Ara Veneris stat semper frigida foco, i. e. frigente foco. Cf. Ov. Fast. II 564:

ture vacent arae stentque sine igne foci.

Met. I 374: stabant sine ignibus arae.

Ad vs. 259.

Dum ceterae mulieres instigante Venere per totam urbem viros occidunt, Hypsipyle patrem suum nullius periculi conscium in Bacchi delubrum raptim perductum sub ipsius simulacri pedibus occultavit.

Latet ille receptus
veste sacra; voces chorus et trieterica reddunt
aera sonum fixaeque fremunt in limine tigres.

Post Waarenburgium, qui de chorus vocabuli integritate primus dubitavit, multi vulgatam tamquam ineptam damnantes coniecturam illius, qua tholus praetulit, ambabus ut aiunt manibus arripuerunt. Librorum scripturae patrocinium suscepit Schenkl, recte locum ita interpretatus: Bacchum miraculo facto ostendisse se piis precibus Hypsipyles non defuturum. Cui Langen his verbis obloquitur: „Chorus si redderet voces, miraculum non esset, neque dici potest chorum adfuisse quidem sed non apparuisse". Cogitasse videtur v. d. de choris iuvenum quales in sacrificiis et pompis partes suas agere solebant. Quos hic designasse Valerius propterea non potest, quia senis latebras nemini mortalium nisi filiae cognitas fuisse ex toto cursu rerum narratarum luculenter apparet. Sed chorus intellegendus est maenadum et satyrorum, qui, non minus quam tympana et tigres, dominum ubique comitantur, quorumque statuae iuxta ipsius Liberi simulacrum in templo dicatae sunt. Deus ut pietatem reginae comprobaret et in bonam spem animum eius erigeret, aeris subito clangore nondum contentus mutas quoque imagines satellitum suorum humanis vocibus loqui coegit.

Haec paucissimis verbis poeta comprehendit neque tamen praeter consuetudinem suam, quod mox apparebit collato vs. 536 huius libri:

Idaeaque mater
et chorus et summis ululārunt collibus Amnes,

ubi eadem voce (chorus) designatur caterva nympharum matrem deorum denso agmine stipantium („Idaei chori" apud Vergilium Aen. IX 112).

Ad vs. 311.

Ecce procul validis Lemnon tendentia remis
arma notant.

Arma pro viris armatis poni adnotat Langen. I. A. Wagner interpretatur „navem viris armatam". Mihi vero eum militiae morem poeta respexisse videtur, quo scuta extra navem suspendere antiqui solebant. Cf. I 339, 496, III 28, 462, V 8, 214; Verg. Aen. I 183, VIII 93, X 80. Apollonius Rhodius I 544 de ipsa Argo e portu exeunte:

στράπτε δ' ὑπ' ἠελίῳ φλογὶ εἴκελα νηὸς ἰούσης
τεύχεα,

ubi scholiasta: εἰς κόσμον τῆς νεὼς εἰώθασιν ὅπλα περιτιθέναι.

Ad vs. 413.

Describitur vestis quam Lemniadum regina discedenti Iasoni dono dedit, ubi patris cum summo vitae periculo conservati imaginem acu expressit:

viridi circum horrida tela
silva tremit; mediis refugit pater anxius umbris.

Inutilem Ph. Wagneri coniecturam mediisque fugit iure suo repudiavit Schenkl; qui tamen satis mire interpretatur refugit: „Thoas flüchtet rückwärts in den tiefen Wald

hinein." Explicatio perversa Langenio quoque admodum placuisse videtur. Si me audis, nihil aliud verba significant nisi silvas refugium dedisse Thoanti. Sexcenties verbum refugere idem valet quod confugere. Cf. Cic. Deiot. 32, Liv. XXVI 46_8.

Ad vs. 454.

Hercules et Telamon dum in litore deserto spatiantur, subito vox flebilis ad aures pervadit.

> Attoniti pressere gradum vacuumque secuntur
> vocis iter; iam certa sonat, desertaque durae
> virgo neci quem non hominum superumque vocabat?

Verba vacuum vocis iter alius alio modo interpretatur, probabiliter nemo.

Burmannus haec habet: „Quid vacuum iter sit, vix video. In nostro codice erat vacuique. An vacuum iter vocis dicitur, quia quasi semitam vel viam facit per aera, qui passim vacuus (vid. Horat. I. od. III 34) et inanis vel inane dicitur?... An vacua ora litoris, per quam vox illa emissa a scopulis ad aures eorum accidebat?"

Thilo: „Vocis iter est regio qua Hesionae vox ad aures Herculis pervenerat, quod vacuum audacter poeta dixit, quia litus desertum erat."

Langen Ph. Wagneri explicationem accipit: vacuum vocis iter ideo dictum esse, quod audiant solam vocem, sed neminem conspiciant. Eam sententiam firmari putat coll. I 707 visu inani et III 661 vacuos visus, quibus locis non multum demonstratur; nempe a loco nostro, ut nunc quidem legitur, videndi notio prorsus aliena est.

Coniecturis sensum idoneum restituere conati sunt Baehrens (dubiumque), Palmer (vescumque), Peerlkamp, qui

reposuit quod haud facile cuiquam placebit: vocemque secuntur. Vox iterum, iam certa, sonat e. q. s.

Vocis iter Thilo recte intellexisse videtur. Fortasse, si eiusdem interpretationem admittere licet, scriptura vacuum utcumque ferri potest. Sed vide an poeta sic scripserit:

attoniti pressere gradum caecumque secuntur
vocis iter.

Sequuntur heroes eam regionem, unde sonus auditur; sed qualis sit sonus et quo ferat iter, nondum perspiciunt; postquam aliquantum itineris processerunt, tum demum vox certa sonat; propius etiam accedentibus offertur virginis alligatae miserabile spectaculum. Iter autem cuius exitus incertus est, poeta dicere potuit caecum iter, ut dicitur caecus casus (Cic. de Div. II 6 15), caeco Marte (Verg. Aen. II 335). Cf. apud Valerium III 110 „sic agmine caeco incurrit strictis manus ensibus."

Ad vs. 593.

Ostia Hellesponti intrantibus conspiciendam se praebet ipsa dea loci, quae talibus Iasona adloquitur:

te quoque ab Haemoniis ignota per aequora terris
regna infesta domus fatisque simillima nostris
fata ferunt; iterum Aeolios Fortuna nepotes
spargit et infelix Scythicum gens quaeritis amnem.

Hanc codicum scripturam iniuria defendit Langen, qui genitivum domus coniungit cum iis quae sequuntur, ut pendeat a substantivo fata, durissisimo verborum ordine constituto et repugnante caesura. Domus a regna infesta divelli non posse Parrhasius iam sensit, qui parum feliciter tentavit tu — regna infesta domas. Magis arridet domu, quod suasit Baehrens Heinsii vestigiis ingressus; is enim domo coniecerat,

qua forma dativi poetas Latinos usos non esse Baehrens contendit. Koestlin et Summers domus pro nominativo accipiunt, quorum alter legendum censet regni, alter regum.

Quam inanis et sensu cassa sit lectio tradita regna infesta domus, vel maxime intellegitur ex Delamalli detorta interpretatione, qui, ut solet, facillime rem expedit: „les tyrans, fléaux de ma maison."

Si quis autem quaerat, quid fata Iasonis cum Helles fatis simile habeant, hoc nimirum respondeamus: utrique longinquum iter per freta immania ingrediendum fuisse quia in ipsorum patria reges iis erant infesti. Id ipsum hoc loco ex virgine audire exspectamus. Quae cum ita sint, sic emendare velim:

> te quoque ab Haemoniis ignota per aequora terris
> regna infesta domi fatisque simillima nostris
> fata ferunt.

LIBER III.

Ad vs. 126.

Audito bellico clamore Phlegyas unus ex Cyzicenis facem ardentem manu tenens ab urbe decurrit.

Ille leves de more manus aciemque Pelasgum
per noctem remeasse ratus e. q. s.

Inter manus et aciem nihil fere interest. Pro illo exspectes rates coll. II 656 sqq.:

Cyzicus 'hic portus' inquit 'mihi territat hostis,
has acies sub nocte refert, haec versa Pelasgum
terga vides, meus hic ratibus qui pascitur ignis'.

Causa corruptelae repetenda videtur ex similitudine vocabulorum rates et ratus. Postquam librarius, cuius oculi in versum sequentem aberraverant, ratus pro rates scripsit, verbum obscurum ab alio invitis Musis in manus correctum est.

Ad vs. 228.

Regi Cyzico hostes iam paene cessisse credenti mors improvisa proxime impendet,

fundo veluti cum Coeus in imo
vincla Iovis fractoque trahens adamante catenas
Saturnum Tityumque vocat spemque aetheris amens
concipit; ast illum fluviis et nocte remensa
Eumenidum canis et sparsae iuba reppulit hydrae.

Vocabulum remensa in vs. 227 nullam habere sententiam Madvigio concedendum non est, quapropter coniecturam eius remersat et Baehrensii remersit prorsus supervacaneas existimo. Neque video quid lucremur Koestlinii invento furiis et voce tremenda. Immo si librorum consensum sequimur, comparatio ad illustranda ea quae regi accidisse narrantur, multo magis est accommodata. Non sperabat tantum Cyzicus se hostium manum victurum esse, sed vana opinione elatus vicisse se iam pro certo confidebat. Sic Titan non ex fuga recens incepta retrahitur, verum ubi fluvios noctemque transgressus in eo est ut in superas oras adscendat, tum demum securum et nihil iam timentem repellunt Cerberus et hydra, ut fluvios et noctem remetiri cogatur.

Quae cum ita sint, eos locum recte intellexisse puto, qui cum Pio Eumenidum canem Cerberum interpretati sunt. Nam licet nullum locum me legere meminerim, ubi illo nomine Cerberus designetur, epitheton neque per se videtur ineptum et mentio Tartarei ianitoris abesse vix poterat. Quod ad hydram, Eumenidum crines indicari eo vocabulo non facile mihi persuadeo. Nisi egregie fallor, hydrum et hydram poetae distinguere solent. Saepius hydri dicuntur angues Furiarum (vid. apud nostrum IV 413, II 195, cf. VI 397 de Medusa), hic vero eandem voluit poeta quam memorat Vergilius Aen. VI 576, ubi ipsum Tartarum, sedem Titanum, custodit (cf. ibid. VI 287). Cerberum et Hydram, ut iisdem parentibus prognatos, coniunxit Hesiodus Theog. 310 sqq.

Sparsa hydra auctore Langenio est „se porrigens, promovens, prorumpens", quae hercle non sunt eadem. Contulit Langen Stat. Theb. VI 443, ubi legitur de equo: „non cohibente magistro spargitur in gyros", et ipsius Val. I 421 „in vacuos ut bracchia ventos spargat (Castor)", ubi sensus non

est: bracchia porrigere, sed: huc atque illuc agitare, cf. V 248 „tua nunc terris, tua lumina toto sparge mari"; VI 584, 656; V 487 „suus ut magnum rex spargit ab Argis Alciden." Cur non: maculis conspersa? Cf. Liv. XLI 21 „anguem iubatum, aureis maculis sparsum." Verg. Ecl. II 41 „capreoli sparsis etiam nunc pellibus albo." Terent. Heaut. 1061 „rufam illam virginem, caesiam, sparso ore, adunco naso." Vide anguis descriptionem apud Verg. Aen. V 87.

Ad vs. 438.

Mopsus ut exercitum piaculo exsolvat,
ducit et ad fluvios ac vincula solvere monstrat
prima pedum glaucasque comis praetexere frondes
imperat, hinc alte Phoebi surgentis ad orbem
ferre manus totisque simul procumbere campis.

Thilo quique eum editores secuti sunt, receperunt Eyssenhardtii coniecturam totosque. Ph. Wagner proposuit pronisque — palmis. Sed lectionis traditae sollicitandae iustam causam nullam video. Argonautae non conferto agmine a flumine redierunt, sed per certam planitiei partem sunt diffusi. Per totum id spatium simul procumbunt ut solem orientem rite venerentur; deinde, postquam hostiae mactatae sunt, Idmon per medios circumiens, ubi quisque procubuit, partem carnium ei obviam gerit. Verba totis campis ne ad vivum resecare velimus monet similis usus II 536 „iam totis resoluta vadis" (de belua illa ab Hercule necata). Cf. I 306, III 726, IV 264, V 438, VIII 103.

Ad vs. 444 sq.

Sacrificio peracto vates Ampycides
truncas nemorum effigiesque virorum
rite locat quercus simulataque subligat arma.

huc Stygias transire minas iramque severi
sanguinis, his orat vigiles incumbere curas e. q. s.

Ad quae Burmannus: „Locat quercus nemorum truncas, ut effigies essent virorum et ad quercus suspensis armis referrent viros occisos, ut in tropaeis etiam fieri solebat." Eodem sensu Langen verba accipere videtur; comparat enim Verg. Aen. XI 83 sq. Immo viros intellege Argonautas, quorum formas reddunt truncae quercus ut manium ira a viris ipsis in imagines illas transferatur. Origo eius moris, quem poeta Romanus sine dubio ex patrio ritu descripsit, hinc repetenda est, quod substitutione tali manes occisorum in errorem induci antiquitus crediderunt. Nescio an eodem spectet institutum τοῦ μασχαλίζειν quod in Graecorum tragoedia commemoratur. Ceterum imagines pro ipsis hominibus immolari videmus et in Argeis de ponte sublicio quotannis in Tiberim praecipitatis (vid. e. g. Ovid. Fast. V 621 sqq.) et in sacris Delphorum quae nono quoque anno perpetrata esse tradit Plutarchus Qu. Gr. 12.

Ad vs. 508.

Ubi Hercules ab uno Hyla comitatus ex nave egressus est, Iuno occasionem ei nocendi oblatam arreptura prius Minervam, ut quae fratri semper auxilio adesset, in longinquas regiones amandare constituit. Quod ut efficeret, callide Pallada adhortata est ut ad Persen, fratrem Aeetae, qui germanum suum bello persequebatur, citato gradu se conferret sponderetque ei appropinquare reges diis genitos, quorum societas studiosissime esset expetenda. Virgo, quamquam simulata specie haud decepta, tamen nihil recusat et iussum iter continuo ingreditur.

Primus Caussin offendit in eo quod de Minervae itinere nulla postea fiat mentio. At quae narrantur in initio libri sexti, legationem de qua duces exercitus Scythici egerint (vs. 9 sqq.)

impeditam esse opera Martis proelium extemplo cientis (vs. 26 sqq.), qua mente inserere poeta potuit nisi ut ostenderet Persen non aspernatum esse divinum consilium? Neque alienum videtur conferre eiusdem libri vs. 730 sqq., ad quem locum iam Summers animum advertit. Vid. ibid. 743.

Eiusdem in narrando brevitatis exempla sat multa collegit Langen in praefationis pag. 8 sq.

Ad vs. 539.

Iuno ut pulchritudinem Hylae vividissimis coloribus depingat, comparat eum cum Baccho post Orientem devictum in patriam redeunte:

vidisti roseis haec per loca Bacchus habenis
cum domitas acies et Eoi pecula regni
duceret, ac rursus thiasos et sacra moventem.

Sic Vaticanus; vulgo fercula editur, quod sanam interpretationem non admittit. Ut cetera Italorum tentamina silentio praeteream, quibusdam placuit quod Carrio ex codice suo protulit pocula. Coniecerunt Maserius spicula, Damsté Penthea.

Num satis attenderunt viri docti ad scripturam codicum deteriorum quae est praedia? In qua, quamvis ipsa sit corrupta, tamen genuinae lectionis vestigia deprehendisse mihi videor. Itaque rogo ut mecum corrigas praemia, qua voce saepius utuntur poetae pro eo quod in soluta oratione est praeda. Sic Propertius III 28_{22}: num paras, inquit, bella gerere cum Eois gentibus

et ferre ad patrios praemia dira Lares?

Cf. Verg. Aen. XI 78:

multaque praeterea Laurentis praemia pugnae
aggerat et longo praedam iubet ordine duci.

Vid. et apud nostrum lib. VIII 253, II 114.

Ad vs. 593.

Hercules, cui Hylas puer a nymphis clam ereptus est, furiis accensus intento arcu per montes discurrit.

Heu miserae quibus ille ferae, quibus incidit usquam
immeritis per lustra viris! volat ordine nullo
cuncta petens e. q. s.

Quamquam Schmitz (de V. Fl. dicendi genere p. 21) in vs. 592 recte restituit feris, ne sic quidem locum persanatum credo. Nam viri illi ubi quaerendi sunt in deviis saltibus? Ex lib. IV enim vss. 5, 20 sq., 52 satis apparet poetam voluisse silvas humano vestigio adhuc intactas. Neque minorem habet suspicionem quod de viris occisis nihil ulterius addidit, sed rem, tamquam nullius momenti, tribus fere verbis absolvit.

Non dubito quin pro viris legendum sit avibus. Cf. Lucretius ubi describit pestilentiam qua Athenarum civitas erat conflictata (VI 1219):

nec tamen omnino temere illis solibus ulla
comparebat avis, nec tristia saecla ferarum
exibant silvis.

Ovid. Metam. X 143:

tale nemus vates attraxerat, inque ferarum
concilio medius turba volucrumque sedebat.

Quid mirum Herculem, qui Ganymedis ab Iovis alite olim surrepti probe meminisset, aves etiam, quamvis culpa carentes, telis suis petivisse?

LIBER IV.

Ad vs. 125.

Dum Tirynthius heros puerum dilectum quaerens desertas silvas frustra pererrat, Argo iam solvit ancoram et oris Bebrycum adlabitur, ubi regnat Amycus pugil ille fortissimus. Cuius pater Neptunus, qui durae fati necessitati filium suum iam dudum deberi praevidit, tales questus pectore evolvit:

nec tibi nunc virtus aut det fiducia nostri,
nate, animos opibusque ultro ne crede paternis.

Recentiores editores iniuria spreverunt lectionem codicum deteriorum ultra, qua recepta proximus versus multo aptius adiungitur: iam iam aliae vires e. q. s. Cf. Verg. Aen. XI 411:

si nullam nostris ultra spem ponis in armis.

Eiusdem usus, quo ultra vocabulo temporis notio inest, haec apud Valerium exempla notavi: II 662, III 161, 663, IV 241, V 44, VII 274, 622, VIII 405.

Ad vs. 130.

Pergit exponere Neptunus Amyci fata imparia esse magnis fatis Iovis, cui Pollucis sui cura sit potior; ideo se navem cursu avertere ausum non esse:

nec iam mora morti
hinc erit ulla tuae. reges preme dure secundos.

Locus conclamatus variisque coniecturis diu tentatus.

Qui vulgatam lectionem servari iubent, omnes fere verba reges preme dure secundos ad Iovem referunt. Sic Thilo: „Adloquitur Neptunus Iovem et accusat, quod sibi et Plutoni, secunda post illum regna sortitis, invideat semper et detrimenta adferat." Unus Maserius de Amyco ironice dicta esse interpretatur; quasi patri, cum in summo dolore esset, iocari etiam libuerit! At ne Iuppiter quidem vocativo dure appellari putandus est, nisi maximae in loquendo neglegentiae, ne dicam mentis conturbatae, incusare volumus Neptunum, qui cum in iis quae proxime antecesserunt, filium suum miserabiliter allocutus sit, perquam abrupte ad Iovem orationem deflectat. Itaque Summersio non assentior scripturam traditam defendenti coll. III 181, VIII 174, ubi ipse poeta apostropha utitur.

Iam inde ab eo qui librum Carrionis exaravit, usque ad nostram aetatem in loco emendando multi desudarunt, quorum conamina vide apud Giarratanium. Mihi, quotiescumque locum relegi, verba illa reges secundos semper maxime suspecta visa sunt. Nam neque secundus adiectivum (quod Thilo iam observavit) ubi idem significat quod felix, vocabulo adiungitur quo persona notatur, et reges secundos nulla addita explicatione dici pro iis qui viribus vel potentia sunt inferiores, vereor ut Latinum sit.

Miror autem in tota Neptuni oratione de Polluce ipso, cuius manibus rex Bebryciae mox occumbet, mentionem nullam fieri. Exspectamus patrem, postquam de iniqua filii sorte conquestus est, quaedam additurum esse de genere mortis quo Amycum periturum praesentit. Quare locum sic refingere volui:

nec iam mora morti
hinc erit ulla tuae. rex te premet arte secunda.

Mors, inquit, te, Amyce, non remorabitur: adveniet enim adversarius, rex et ipse, qui arte luctandi divino favore secun-

data te opprimet. Reges apud nostrum audiunt et cuncti Argonautae (vid. Langen ad lib. V 497; dux quoque et ductor passim pro heroe ponuntur) et iuvenis Acastus I 174. Cf. quae dicit Amycus vs. 213 „hoc functi remeant certamine reges." Premere sensu opprimendi scripsit Verg. Aen. IX 330:

tris iuxta famulos temere inter tela iacentis
armigerumque Remi premit (Nisus).

Sic Tacitus Ann. XVI 9, Hist. IV 2. Fortasse tamen praestat premet interpretari superabit; cf. quae scripsit Damsté ad Ov. Met. IV 631 in Mnemos. XXII (1894) p. 61. — Pollux vs. 272 ictus effugisse narratur Oebalia arte. Cf. Verg. Aen. II 617 „animos viresque secundas."

Ad vs. 216.

Gloriatur Amycus neminem impune secum congressurum.

Quis mecum foedera iunget?
prima manu cui dona fero? mox omnibus idem
ibit honos. fuga sub terras, fuga nulla per auras.

Non erat cur omnes post Thilonem editores, ne excepto quidem Giarratanio critico cautissimo, Heinsii coniecturam feram in textum reciperent. Pueris notum est poetas nonnumquam indicativum adhibere pro coniunctivo qui dubitativus dicitur, ut fecit Verg. Aen. IV 534. Langenium revocaverim ad ea quae ipse adnotavit ad lib. V 285.

Ad vs. 230.

Castor ubi fratrem suum cum rege certamen initurum vidit, defixus stat gelido pavore. Etenim

nec pretium sonipes aut sacrae taurus harenae,
praemia sed manes reclusaque ianua leti.

Perperam explicat I. A. Wagner: „sacrae, nam ludi et spectacula ad veterum religionem pertinuere." Inde intellegitur

quomodo Heinsio in mentem incidere potuerit sacrae in stratae mutandum esse. Sic Baehrens sancti certaminis Olympici intempestive memor mavult sacrae laurus harenae. Sed sacram harenam poeta dixit nefandam, exsecratam, ut est in notissimo illo „auri sacra fames." De eodem pugilatu Lycus rex queritur (vs. 746): „saevis frater mihi fusus harenis."

Ad vs. 275.

Pugna iam commissa postquam Amycus insanis incursibus in auras vires profudit, Tyndarides, qui hucusque nil nisi ictus imminentes defenderat, tum demum

paulatim insurgere fesso
integer et summos manibus deducere caestus.

Baptista Pius, cui quamvis dubitanter assentitur Burmannus ad vs. 298, deducere caestus explicat quasi sit „absolvere et replicare caestus," quod in summo pugnae ardore ac discrimine Pollucem fecisse minime credibile est.

I. A. Wagner intellegit caestus e bracchiis manibus propius esse admotos; quem optime refutavit Langen caestus ad manus et bracchia firmissime adstrictos fuisse exponens. Ipse verbum deducere ab inutilibus coniecturis, quales sunt detrudere (Thilo), diducere (Baehrens), defendit interpretando „demittere," quod probo.

Minus placent quae de summos Langen disputavit. Si lectio eius summis manibus deducere caestus significare potest quod ipse contendit „sublatis manibus Amycum aggressus caestibus ferit," nullam equidem video emendandi necessitatem; nam sublatos caestus deducere quid habet offensionis? [1]) Sed magnopere doleo nulla me in adnotatione

1) Prodest conferre quae de pugilandi arte exposuit Damsté in Mnemos. vol. XXVI (1898) p. 180 sq.

Langenii invenisse talis usus exempla; nunc enim de vocabuli integritate valde dubito.

Thilonis explicatio, summŏs caestus esse clavos et squamas, quibus caestus caelati essent, molestiam nullo modo removet. Audacter Ph. Wagner rescribere voluit crudo malas discindere caestu, cum sufficeret solum summos mutare in crudos (cf. vs. 250, Stat. Theb. VI 733). Spero tamen me lenius aliquanto emendaturum primos, ut primos manibus deducere caestus dictum sit pro: tum primum coepit caestus demittere. Cf. IV 166, VI 376, VII 90, 172.

Ad vs. 308.

Pollux variis palaestrae artificiis adversarium elusit, quorum hoc fuit ultimum, quod corpus celeriter in latus convertit ut ille in medio ictu pronus rueret. Quo facto effusum secutus

haud revocare gradum patitur, turbatque premitque
ancipitem crebros et liber congerit ictus
desuper averso; sonat omni vulnere vertex
inclinis ceciditque malis. iam tempora manant e. q. s.

Ineptae Vaticani lectioni plerique editores praetulerunt scripturam quam et Monacensis et liber Carrionis exhibet: inclinis ceditque malis. Pro inclinis, quod sanissimum esse credo, Itali inclivis et acclivis coniecerunt; Zinzerlingus pro Graeco ἀκλινής dictum putat, non potuisse enim regem inclinari antequam vulnus in cervice acciperet; quas nugas unde petiverit, piget anquirere.

Heinsius ex quatuor coniecturis optionem nobis permittit: inclinesque sedent malae, inclinesque crepant malae, inclines cedunt malae, inclines caedi malae. Miros profecto vir doctus finxit ictus, qui in aversum caput delati malas perfregerint.

Heinsii vestigiis Burmannus et Slothouwer ita ingressi sunt ut ipsis quoque malis a nominativo singulari mala repetendum videretur. Parum feliciter proposuit Burmannus inclinisque cadit malis (pro: cadit inclinis in malas) vel inclinisque cadit: malis iam tempora manant, quod insulsa superlatione interpretatur „rupta tempora manant per malas." In eo quod Slothouwer invenit inclinis: caedit malas, offendit etiam molesta subiectorum permutatio.

Quicumque diligentius locum perlustrat, eum fugere non potest verbum cadendi hic a poeta usurpari nondum potuisse de Amyco, quippe qui vs. 311 demum lapsus esse narretur. Sensit hoc Baehrens, qui sic edidit inclinis ceciditque manus. Cum autem agatur de actione assidue repetita, perfectum cecidit probari omnino nequit; requiritur tempus aut imperfectum aut praesens. Ictus crebros quibus Bebryx premitur, iam supra poeta descripsit; nunc exponit quo corporis habitu plagas ille pertulerit. Caput inclinatum ad quemlibet ictum resonat caestibusque toties deductis cedere cogitur.

Qua re semel perspecta non multo labore manum poetae restituere licet. Verbum cedit recte tradiderunt codices deteriores; unum malis vitiosum esse apparet. Corrigendum est:

sonat omni vulnere vertex
inclinis ceditque manu.

Adiectivum inclinis explicant illa ceditque manu. Inclinatur enim caput quia sequitur impetum manus ferientis.

Dativos in -u pro -ui exeuntes poetae frequentant. Ad usum verbi cedere cf. III 196 „cessere iubae raptumque per auras vulnus", ibid. 199 „per clipei cedentis opus."

Ad vs. 366.

Iunoni paelicem Io in bovis speciem conversam ut sibi traderet flagitanti quamvis invitus Iuppiter morem gessit.

Muneris illa potens custodem protinus Argum
adiungit; custos Argus placet, inscia somni
lumina non aliter toto cui vertice quam si
Lyda nurus sparso telas maculaverit auro.

Verba custos Argus placet quid sibi velint, si ipsum nomen custodis proxime antecessit, non facile est intellectu. Dubitari vix potest quin in ultimo versu 366 nomen superscriptum genuinam lectionem expulerit. Propono:

muneris illa potens custodem protinus acrem
adiungit; custos Argus placet.

Sic repetitio ingrata esse iam desinit. Cf. Ovid. Metam. I 121 sq.: tum primum subiere domus: domus antra fuerunt
et densi frutices et vinctae cortice virgae.

Propius a librorum scriptura abesset artum, sed insolentiorem copulationem custodem artum vereor ut satis defendant loci Tac. Hist. I 88 „arta custodia", Liv. XXVI 4 „custodias tam artas", Iust. XXVII 3 „artissima custodia".

Ad vs. 439.

Phineus his verbis Argonautas salutat:

novimus et divis geniti quibus et via iussos
quae ferat ac vestri rebar sic tempora cursus
proxima quaeque legens, quantum Vulcania Lemnos
traxerit, infelix tulerit quae Cyzicus arma.

Rebar sic tempora explicare solent: tempora computabam. Numerandi vel computandi notionem quamquam a stirpe re-ra minime alienam fuisse docent derivata (ratio, ratiocinari), tamen eum verbi usum, quem vel in priscis litterarum Latinarum reliquiis frustra quaesivi, poetas posterioris aevi novisse omnino non credendum.

Veteres editiones habent (rebar sic) in parenthesi. Heinsio

placuit rebar prope tempora cursus: vulgatam enim intellegi non posse nisi proxima cum tempora construeretur. Iudicium est Peerlkampii (ad Verg. Aen. VI 690, cum quo loco quandam similitudinem habet locus noster): „difficilis locus ac fortasse corruptus."

Madvig perfectum subesse putat in si cadens, quod computandi significationem vicinamve habeat; quae invenit digessi et decerpsi, ne ipsi quidem satisfaciunt. Praeterea coniecerunt Baehrens reputavi, Postgate sectabar, Koestlin respexi vel quaerebam.

Codicum memoriam defendit Loehbach, qui Heinsium secutus post proxima interpungit, cum contendat verba sic iuncta proxima quaeque legens sensum nullum habere: „denn Phineus hat die ganze Fahrt der Argonauten, nicht bloss den letzten Teil derselben im Geiste verfolgt." Quo facto violenter admodum quaeque a superlativo suo divellitur. Verum ut hoc omittam, illud quaerere ex viro docto pervelim, quo sensu Phineus dicere potuerit: rebar tempora cursus vestri proxima esse, cum Minyae eo tempore de quo loquitur iam in medio essent cursu; dicendum erat „tempora adventus proxima esse" vel tale quid. Nec non sic particula, quocumque verto, moleste abundat.

Legendum videtur metibar (pro rebar sic). Quomodo corruptio nasci potuerit, facile intellegitur ex litterarum cognatione quae est inter verbi partem priorem et vocabulum vestri quod praecedit. Postquam verbum per haplographiam mutilatum est, librarii ut metro subvenirent, sic addiderunt; in scribendo rebar fortasse memores fuerunt loci Vergiliani quem supra citavi.

A formis in -ibam -ibar sermo poeticus non abhorret; cf. VIII 97 nutribam.

Neque illa proxima quaeque legens sensu cassa esse Loehbachio concedendum est, quamquam Langenio non accedo interpretanti: „ea semper animo considerans, quae proxime sequebantur antea gesta." Malim proxima ad ipsum Phineum referre, qui famem et miseriam solatur spe in dies propius accedente, dum eos semper reputat Argonautarum casus, qui a suis finibus proxime absunt.

Ad vs. 507.

Sicut prorupti tonuit cum forte Vesevi
Hesperiae letalis apex e. q. s.

Nemo sane erit quin assentiatur Langenio, forte hic non interpretandum esse: casu. Sed errat vir doctus ubi neutrum adiectivi fortis pro adverbio positum arbitratur. Revera est ablativus, isque eo sensu usurpatus, quo plerumque legitur in sententiis condicionalibus (Graecum ποῦ, nostrum 'soms'). Hunc vocis usum apud poetas non tam angustis finibus circumscriptum esse quam in prosa oratione (ibi enim inveniri non videtur nisi post si, nisi, ne) docent loci Verg. Aen. IX 437:

... lassove papavera collo
demisere caput, pluvia cum forte gravantur.

et ibid. XI 456:

haud secus atque alto in luco cum forte catervae
consedere avium e. q. s.

Dignum est notatu, haec quoque exempla ex comparationibus petita esse. Cf. Val. IV 44. Ut recte perspiciatur, quantum ea ab usu cotidiano distent, prodest conferre Aen. III 301, VI 190, VII 494, ubi cum forte = cum casu.

Etiam altero loco huius libri Valerius ablativum forte liberius adhibuit, vs. 218:

nec lacrimae nec forte preces superive vocati
pectora nostra movent,

pro: ne forte putetis precibus pectora moveri.

Ad vs. 512.

Harpyiae, quibus instant Calais et Zetes, turbine rapido terras atque aequora transvolant

iamque et ad Ionii metas atque intima tendunt
saxa; vocat magni Strophadas nunc incola ponti.

Intima saxa quid sint, non expedio. An ultima dedit poeta? Cf. V 154:

ultimus inde sinus saevumque cubile Promethei
cernitur.

Ibid. 77:

illum (Bacchum) post acies rubrique novissima claustra
aequoris hic resides thiasos ... moventem (meministis).

Ad vs. 568.

Phineus postquam furorem Symplegadum descripsit, se ipsum non posse monendo adiuvare navigationem fatetur.

Di tibi progresso propius, di forsitan ipsi
auxilium mentemque dabunt.

Burmannus praeeunte Bulaeo mentem explicat: fiduciam, perseverantiam, coll. Sil. VI 610: „dat numine magno Aeneadis mentem." Mihi cum apud Silium tum loco nostro significare potius videtur repentinam cogitationem vel consilium (ἐπίνοιαν) ut est apud Vergilium Aen. II 519, XII 554.

Substantivo mens illustrare vates voluit, quale esset auxilium sperandum. Non ipsi agendo opem tibi ferent superi, sed idoneum consilium animo tuo subicient. Quale id consilium fuerit, apparet ex vs. 670 sqq., sc. ut navis sequeretur facem a Minerva praemissam.

Ad vs. 625.

Tantum effatus Phineus
dedit tacitis iterum responsa tenebris.

Haec sanam interpretationem nullo modo admittunt. Langen adnotat: „Iterum taciturnitate sua responsa tenebris obvolvit"; quae quomodo ex textu elicere potuerit non assequor. Pro dedit, quod quin labem contraxerit nullus dubito, Burmannus tegit proposuit. Magis tamen placet scribere premit; nam, nisi fallor, ante oculos habuit Valerius Verg. Aen. VII 102:

haec responsa patris Fauni monitusque silenti
nocte datos non ipse suo premit ore Latinus.

Cf. Val. I 617, III 215.

Ad vs. 644.

Minyae ex quo a Phinei terra in altum provecti sunt, iam iam adfore Cyaneas exspectantes in omnes aequoris partes oculos convertere numquam desinebant,

cum procul auditi sonitus insanaque saxa.
saxa neque illa viris, sed praecipitata profundo
siderei pars visa poli. dumque ocius instant,
ferre fugam maria ante ratem, maria ipsa repente
645 diffugere adversosque vident discedere montes,
omnibus et gelida rapti formidine remi.

Ita interpungendum, non post fugam, quod fecerunt et alii et Thilo. Vere monet Langen verba ocius instant rectius referri non ad novam fugiendi actionem, sed ad id acrius persequendum, quod iam ante facere Argonautae instituerunt: in animo autem iis erat quam celerrime per saxa pervehi. Cf. II 457. Poeta vs. 643 sq. nondum describere vult quid fecerint nautae, sed auget immanitatem saxorum, quibus dum

maxima celeritate illi appropinquant, novis terroribus adeo perturbantur ut remos manibus emittant.

Lectionem diffugere, pro eo quod Vaticanus inepte praebet defigere, iam ante Carrionem in priscis libris invenerat Baptista Pius. Non minus apte maria dicuntur diffugere quam vs. 656 legitur fuga ponti. Attamen Burmannus coniecit deficere, quod ediderunt Baehrens et Giarratano, ne mare fugisse in duobus versibus bis exprimeretur. Respondet Schenkl nihil esse in ea repetitione quod offendat, quia Valerius tautologiis soleat delectari. At enim tautologiam tam inanem quam haec est, ubi eadem sententia nulla fere mutatione facta inutiliter geminatur, poetae inculcare maxime vereor.

Quod alteri maria pronomen ipsa emphatice additur, inde efficiendum mihi videtur subiectum verbi ferre non fuisse maria, sed aliud substantivum quod mari opponebatur. Tentavi:

dumque ocius instant,
ferre fugam iam sponte ratem, maria ipsa repente
diffugere adversosque vident discedere montes.

Dum summa vi remis incumbunt ut per cautes illas, quas sonantes procul audiunt necdum conspiciunt, quam celerrime pervehantur, primum ratem undarum impetu abreptam sua sponte iam procurrere sentiunt; mox oculis in mare conversis ipsum aequor diffugere animadvertunt; tum, ubi longius aciem intenderunt, offertur discedentium scopulorum spectaculum horrendum.

Cf. vs. 677: coeperat hinc cedens abductis montibus unda
ferre ratem pelagoque dies occurrere aperto.

LIBER V.

Ad vs. 93.

Sthenelus ex inferis emissus ut heroum praetervehentium egregium spectaculum oculis capesseret, omnibus armis indutus in summo tumulo subito apparet.

> Talis ab aequorei consurgens aggere busti
> emicuit; fulsere undae, sol magnus ut orbem
> tolleret aut nubem quateret polus.

A Baehrensii coniectura ut orbem cum tollit nubemque quatit polus textum iure defendit Langen, qui observat Livium XXXI 1 similiter velut pro velut si dixisse. Idem usus apud Livium saepius reperitur, cf. Weissenborn ad l.l. In ut coniunctione tamen res est minime vulgata. Unum apud poetas exemplum inveni Lucret. VI 1232:

> ubi se quisque videbat
> implicitum morbo, morti damnatus ut esset,
> deficiens animo maesto cum corde iacebat,
> funera respectansque animam amittebat ibidem.

Ad vs. 211.

Ubi in terram optatam se iam pervenisse nautae intellexerunt ex indiciis quae Helle monstraverat, tum ductor sollemni libatione facta non modo Phrixum et divam sororem, sed numina etiam ignotae regionis ipsumque Phasin amnem precatur ut adnuant coeptis audacibus.

Dixerat, atque illi dextra sine versa magistri
protinus in proram rediit ratis omine certo
fluminis os pontumque tuens.

Langenii haec sunt: „proram Vat., quod explicari non potest; puppim scripsi, i. e. rediit ratis eo, quo puppis erat, convertitur, cfr. Luc. III 545 in puppim rediere rates." In loco Pharsaliae citando humani quid viro docto accidisse videtur; legitur enim in descriptione pugnae navalis:

ut primum rostris crepuerunt obvia rostra,
in puppim rediere rates,

i. e. retro actae sunt, πρύμνην ἀνεκρούσαντο, qui est motus contrarius ei quem Valerius significare voluit. Verba igitur Lucani tantum abest ut Langenii coniecturam confirment, ut contra pro tradita lectione fortiter militent.

Locutionem in proram rediit ratis cur vituperent Langen quique eum secuti sunt Bury et De la Ville de Mirmont, non perspicio. Ut taurus quem Iason domuit, proruere dicitur in caput inque umeros (VII 599), sic ratis rediit in proram, i. e. ita rediit ut proram sequeretur.

Ad vs. 246.

Regem Aeeten Phrixi defuncti umbra per quietem oblata de instanti periculo praemonuit: si sacrum vellus ex luco abripi pateretur, imminere regni labem luctusque domesticos. Quo ille vaticinio perterritus patris orientis numen supplex veneratur:

Haec tibi, fatorum genitor tutela meorum
omnituens. tua nunc terris, tua lumina toto
sparge mari; seu nostra dolos molitur opertos
sive externa manus, primus mihi nuntius esto.

Ad haec tibi audire solent dico coll. VII 170:

haec tibi: nam Furiis atque ipsi cetera mando.

Ibi verbis haec tibi, quibus vocabulum cetera opponitur, ea quae ante dicta sunt, in fine orationis breviter designantur; longe alia est ratio loci qui nunc nos detinet, ubi verba illa tamquam exordium sermonem inducere permirum mihi quidem videtur.

Multi iam locum corruptum iudicaverunt. Ex quibus Heinsius proposuit eia age vel huc age vel — horribile dictu — haec bibe, sc. auribus! Aldinae lectionem hei mihi Vossius comprobavit. Iacobs et Baehrens epitheton Solis latere suspicati ille lucide suasit reponi, hic praescie in textum recepit. Sunt denique qui scribant haec tua. Langenio quoque, quamquam concedit probabilem emendationem nondum esse repertam, tamen verba ut nunc leguntur, valde languida atque suspecta visa sunt.

Ego codicum scripturam optime explicari posse censeo, dummodo deleta distinctione quae post tibi est, et ante genitor et post id vocabulum interpungatur:

Haec tibi fatorum, genitor, tutela meorum,
omnituens.

Haec, inquit, tibi sit tutela meorum fatorum, genitor omnituens. Quam velit tutelam, in sequentibus exponit: lumina tua circumfer per cunctas terras ac per totum mare, ut periculum impendens primus mihi nuntiare possis.

Cf. lib. V 643:

est amor et rerum cunctis tutela suarum.

Coniunctivum optativum quem vocant, similiter suppressit Valerius II 133:

haec tibi principia (sc. sint), hinc rabidas dolor undique matres instimulet.

Ad vs. 313 sqq.

Iason ut sociorum animos in spem prosperi successus excitet,

versus ad ora virum 'quod primum ingentibus ausis
optavistis' ait 'veterumque quod horruit aetas,
adsumus en tantumque fretis enavimus orbem.
nec pelagi nos mille viae nec fama fefellit
Soligenam Aeeten media regnare sub arcto.

Pro primum, in quo codices omnes conspirant, Schenkl Baehrens Langen ediderunt pridem, quod teste Heinsio vir quidam doctus in margine editionis Venetae adscripserat. Ipse Heinsius primi malebat.

Utramque coniecturam inde natam puto, quod mentem poetae male intellexerunt. Nam hoc dicere voluit, adventum in Colchida terram idcirco a Minyis optatum esse, quia maiorum rerum iis videretur principium. Ingentibus ausis est dativus, itaque interpretandum quod primum ingentibus ausis optavistis: quod optavistis ut ingentia ausa inde exordium sumerent.

Non magis sollicitandus est vs. 316 nec pelagi nos mille viae nec fama fefellit, qui Ph. Wagnero (Neue Jahrb. 89 p. 388) adeo displicuit ut post viae lacunam duorum hemistichiorum statueret. Perquam frigide coniecit Baehrens nec pelagi nocuere viae. Priorem versus partem Langen recte explicuit: „Mille viis per mare currere nobis licebat, sed unam veram feliciter invenimus." Conferri potest Verg. Aen. IX 243 „nec nos via fallet euntis". Fama fefellit dicitur ut lib. VI 713 „nec labor adsiduus nec spes sua fallit alentem". Zeugma sibi non durius indulsit poeta quam est in lib. IV 66, ubi Apollo causam Promethei agit apud Iovem:

sat tibi furtum
ignis et aetheriae defensa silentia mensae [1]).

---

1) Non assentior Samuelssonio mentis pro mensae suspicanti. Tutius videtur

Ad vs. 321 sqq.

Suadet igitur ut prima luce ad tecta regia proficiscantur: non esse enim veri simile Aeeten petentibus defuturum;

> sin vero preces et dicta superbus
> respuerit, iam nunc animos firmate repulsae,
> quaque via patriis referamus vellera terris,
> stet potius: rebus semper pudor absit in artis.

Versum 324, qui Heinsio spurius est visus, Thilo ita interpretatur ut stet potius positum sit pro ante omnia spectemus vel quaeramus. Contortam explicationem reiecit Langen, qui post respuerit signo interruptae orationis posito ante 324 versus nonnullos excidisse suspicatur huius fere sententiae: „considerandum (qua via — referamus), et ne vellera relinquamus et infecta re discedamus, vel fraude uti stet potius".

Multo lenior est correctio quae in Aldina editione invenitur:

> stet procul et rebus semper pudor absit in artis,

quam iure defendit Damsté coll. Ovid. Am. III 14_{17}:

> Est qui nequitiam locus exigat, omnibus illum
> deliciis imple: stet procul inde pudor.
> hunc simul exieris, lascivia protinus omnis
> absit et in lecto crimina pone tuo.

Non opus tamen videtur pro via cum eodem viro docto recipere Aldinae lectionem via est. Sola interpunctio mutata locum restituet:

Summersii opinionem sequi, Tantali et Promethei crimina a poeta in unum esse confusa. Defendere autem ad prius membrum fortasse interpretandum est ut Samuelsson fecit: vindicare, ulcisci, quamquam apud poetas numquam eo sensu legere me memini. An furtum defendere eodem modo dictum est quo iniuriam defendere, ut haec evadat sententia: poena Promethei Iovem in posterum cavisse ne quis iterum ignem per dolum abriperet?

sin vero preces et dicta superbus
respuerit (iam nunc animos firmate repulsae),
quaque via patriis referamus vellera terris.
stet procul et rebus semper pudor absit in artis.

Quaque via dictum pro quacumque via, i. e. seu vi grassari sive per fraudem ac dolum ad propositum pervenire satius erit.

Vero (vs. 321) ob posteriorem syllabam correptam multis suspectum fuit; coniecerunt forte vel iste vel aure. Sed eandem mensuram apud Stat. Theb. II 187 Weitzius iam observavit, neque miranda est correptio in voce quae naturam adverbialem iam diu amiserat. Ceterum cf. Summers l.l. p. 52.

Ad vs. 395.

Percontanti Iasoni, qua via regem adire possit, Medea haec respondet:

quem petis Aeeten, genitor meus, ipsaque iuxta
moenia, si vivos possis discernere calles.
hac adeo duce ferte gradus; ingentia namque
castra alios aditus atque impius obsidet hostis.

Pro adeo Baehrens et Bury ideo scripserunt; nolo tamen quidquam mutari. Vergilius quoque adverbium adeo ad vim pronominis augendam non ita raro adhibuit; sic Aen. VII 427:

haec adeo tibi me, placida cum nocte iaceres,
ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.

Summers (l.l. p. 47) adeo adverbium imperativo adiungi tamquam insolitum notavit. Sed cf. VIII 102, 344, Terent. Andr. 759, Cic. Verr. IV 141, 143.

Ad vs. 507 sqq.

Iason postquam certiorem fecit Aeeten, quo consilio tantum

iter susceperit, narrat alios se iam expertos esse adversarium minime spernendum; malle tamen se bona cum gratia auream pellem a rege accipere quam vi atque armis ea potiri.

Tu modo ne claros Minyis invideris actus.
non aliena peto terrisve indebita nostris,
siquis et in precibus vero locus, atque ea Phrixo
crede dari, Phrixum ad patrios ea ferre penates.

Ita omnes post Burmannum ediderunt exceptis Baehrensio, qui ecce pro atque legit, et Langenio, cui melius visum est versus priores sic interpungere:

tu modo ne claros Minyis invideris actus,
non aliena peto terrisve indebita nostris.

Sed tu modo sententiae primariae, non protasis, initium facit, ut Verg. Aen. II 160, IV 50, cf. Liv. XXVI 41_{22}.

Eidem Langenio incommodum fuit quod ea pronomen in vs. 509 nihil haberet quo referretur, quare post locus partes duorum versuum excidisse coniecit, in quibus vellerum mentio fieret. At optime refertur pronomen ad aliena et indebita quae praecedunt. Si ea sollicitaremus, multo magis dubitandum esset de hoc in vs. 495.

Sensus quem Langen in versibus inesse dicit, Iasonem postquam pro suo iure vellus petiverit, his verbis etiam preces addidisse, non sine audaci licentia ex poetae verbis elici potest. Ipsum contrarium voluit Valerius; nam vero substantivum esse, non adverbium, quod putat Langen, recte Burmannus perspexit, a quo tamen ita discrepo, ut distinguere malim:

tu modo ne claros Minyis invideris actus
(non aliena peto terrisve indebita nostris,
si quis et in precibus vero locus) atque ea Phrixo e. q. s.,

ut imperativus crede iuxta prohibitivum ne invideris ponatur.

Hactenus Iason solis precibus usus erat; nunc Phrixi titulum praetendens vellera terris Graecorum non indebita esse contendit, si in precibus vero, i. e. iusto (vs. 498), locus esse possit.

Quod ad eam significationem vocabuli verus attinet, cf. Hor. Sat. II 3_{312}, Caes. B. G. IV 8, Liv. XXIII 11_{12} al. Nihil opus est igitur cum Buryo vero in iuri mutare.

Ad vs. 618.

Ecce autem Geticis veniens Gradivus ab antris
ingentemque trahens arctoa per aequora nubem
aspicit Aeaea Minyas stupefactus in urbe.

Quid sibi volunt antra illa Getica? Nam Getarum regionem planam ac campestrem fuisse nemo ignorat. Non audiendus est Heeren (de chorographia a Val. Fl. adhibita p. 69), qui contendit poetas vocabulo antri saepius usos esse ut nomen terrae aut regionis non simpliciter et aperte, sed per ambitum verborum describerent, itaque de ipsius vocabuli vi in tali conexu nihil omnino superesse. Locus quem attulit ex Propertio (I 1_{11}) minime probat eam rationem: Parthenia enim antra sunt speluncae Parthenii montis Arcadiae; cf. Val. VIII 125.

Reponendum est arvis coll. Verg. Aen. III 35:

Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet arvis.

Cf. Val. VI 330:

feror arctois nunc liber in arvis.

Contrarium vitium est in Vaticano VI 170:

ut saevo cum fulmine Phlegram
Iuppiter atque imis Typhona reverberat arvis,

ubi Sabellici lectionem antris confirmat quod vs. 565 eiusdem libri legitur:

at genetrix imis pariter Maeotis ab antris[1])
implevit plangore lacus natumque vocavit.

Simili modo permutantur arva et antra I 751:

i, meus es, iam te in lucos pia turba silentum
secretisque ciet volitans pater Aeolus arvis,

i. e. campis piorum. Codices nonnullos qui antris exhibent, satis refellunt loci Verg. Aen. VI 477, 744.

Apud Val. I 576 Tyrrhena antra sunt antra Aeoli, quibus clausos tenet ventos; male Sabinus arva.

Restat unus locus quo nititur Heereni iudicium, Val. VI 79:

quin et ab Hyrcanis Titanius expulit antris
Cyris in arma viros.

Lectio Hyrcanis valde incerta est, quia in gentium Scythicarum catalogo Hyrcani bis occurrunt, et hic et vs. 114, ut alterutro loco corruptelam esse appareat. Verum haud neglegendum videtur quod I. A. Wagner, quamvis dubitanter, protulit, fortasse de Troglodytis esse cogitandum. Eos enim ut in Aethiopiae parte quadam habitasse notissimum est iam ex Herodoto (IV 183), ita ad Caucasum quoque memorant Strabo XI p. 506, Schol. Aesch. Prom. 420, Plin. IV 80.

---

1) Deis aquarum antra ferme attribuuntur. Verg. Ge. IV 333 sqq. describit „thalami pendentia pumice tecta" in spelunca sub flumine Peneo sita, quo Cyrene nympha filium suum Aristaeum accipit. Sic Hom. Σ 50 ἀργύφεον σπέος; ibid. 65. Vulcanum Thetis et Eurynome servarunt ἐν σπέϊ γλαφυρῷ ibid. 402. Vid. et α 73, Ovid. Metam. II 269, Fast. V 661. Cf. columna Traiana, in qua expressus est Danubius amnis partem corporis ex specu exserens ut Romanorum pontem manu sustentet. Eiusmodi imaginem respicere noster videtur V 209. Non erat igitur cur ex versu corrupto II 318 „Protea ... Phariis ... ab antris huc rexisse vias" Heeren sententiae suae argumentum peteret.

Ad vs. 655.

Effecturam se minatur Pallas ut superbia ac iactantia ex animo Martis iam iam excidant:

lituos miser armaque faxo
oderis et primis adimam tua nomina bellis.

De ultimis verbis I. A. Wagnerum primum audiamus, qui hanc miram offert paraphrasin: „proximo quoque proelio adimam (tuam) gloriam bellicam." Propius a vero abest Langen, qui prima bella pro maximis vel gravissimis accipiens ita locum interpretatur: „faciam ut nomen tuum in gravissimis bellis quae per saecula gerentur, non nominetur, quia prorsus arma bello abstinebis."

Equidem magis credo poetam cogitasse de more in bellorum initiis Martem invocandi, de quo Servius ad Aen. VIII 3: „Is qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus primo ancilia commovebat, post hastam simulacri ipsius, dicens: Mars vigila." Cf. Verg. Aen. VII 603:

cum prima movent in proelia Martem.

Si Mars a Minerva coactus arma et lituos abiecerit, nomen eius in orientibus bellis implorare homines mox desistent.

Ad vs. 670.

Minerva ut se purget de iniuriae criminibus, quae frater iratus in eam contulit, quod insidiis fallacibus adiuvare Iasonem instituisset, simulat se nequaquam cupidam esse pugnandi statimque navem in altum educturam affirmat ubi vellera Phrixea in Minyarum potestate viderit.

Quodsin ea Mavors
abnegat et solus nostris sudoribus obstat,
ibimus indecores frustraque tot aequora vectae?
fas aliquae nequeat? sic femina. coeperat ardens

hic iterum alternis Mavors insurgere dictis.
excipit hinc contra pater et sic voce coercet e. q. s.

Non facile alterum Valerii locum inveneris qui magis sit diversissimis coniecturis vexatus.

Vaticani lectionem leviter mutatam (aliquem, aliquid) Itali receperunt; in codice Carrionis erat fassaque quae nequeam? quod ne verum esse putemus obstat molesta numerorum varietas.

Quamvis varia inde ab Heinsio usque ad nostram aetatem viri docti excogitaverint, nemo ante Madvigium observavit perversissime poetam ipsum sic induci de dea loquentem: sic femina. Neque tamen sententiae est accommodatum quod ipse Madvig invenit mas aliquae nequeat, si femina. Giarratano servato sic femina edidit fas aliquā nequeat? quod non intellego.

Ut taceam de multorum coniecturis quae aut nimia audacia laborant aut sana ratione explicari non possunt, Schenkl proposuit fessaque nunc cedam tibi femina? Langen pro nunc maluit vae. Quorum neutrum mihi probatur, quia Pallas in eis quae proxime antecedunt, ad Iovem sermonem convertit, ut nudum illud tibi nomine non addito satis inepte ad Martem referatur. Praeterea substantivum femina in fine sententiae otiose additum non mediocriter offendit legentem.

Aliam emendandi viam ingressi Koestlin et Leo versum 670 Marti tribuerunt. Koestlinio sic scribendum videtur:

'fare age quae nequeat, si femina coeperit ardens'
hic iterum alternis e. q. s.

Leo ad vulgatam propius accedens legendum censet:

'fas aliquae nequeat sit femina —' coeperat ardens e. q. s., ita fere ratiocinatus: Minervam feminam dicere neque poeta potest neque dea ipsa; at potest Mars, ut qui vs. 627 Iovi

haec exprobraverit: „neque femineis ius obicis ausis". „Daraus folgt, dass Mars diese Worte redet; es ist der Anfang seiner Erwiderung, die Iuppiter abschneidet".

Non malam secutus est vir doctus concludendi rationem, sed nego propositionem maiorem. Cur non potuit Minerva, quo acerbius de sexus contemptione quereretur, idem vocabulum quod frater in contumeliam adhibuerat, cum amara irrisione repetere? Accedit quod verba alternis insurgere dictis vix apta videntur, si ipsa dicta iam traduntur in versu priore.

Si quid video, illa fas — femina sunt Minervae, quae non eo se impetraturam sperare potest, quod contumaciam et immodestiam prae se ferat, immo elevat id quod cupit ipsa, ut iniuria quam sibi a Marte inferri dicit, quam maxima Iovi videatur. Sic enim legendum est:

fas aliquae nequeat tibi femina?' — coeperat ardens e. q. s.

An tibi, Iuppiter, fas est, velut sanctam legem apud animum tuum statuisti, ut femina ne aliquae quidem possit, ne minimum quidem efficere valeat? Cf. Tac. Ann. I 77 „neque fas Tiberio infringere dicta (Augusti)".

Eodem sensu praegnanti legitur pronomen vs. 661, ubi dea: quod scelus, inquit, aggressae sumus si iuvenem aspera iussa subeuntem „iuvimus et magnis aliquam spem movimus ausis?" Cf. Cic. de Orat. I 115 „neque haec ita dico, ut ars aliquid limare non possit."

Pluralem aliquae pro aliqua, quem multi in dubium vocarunt, defenderunt Madvig et Leo, etiam Plinius usurpavit N. H. XVII 219.

LIBER VI.

Ad vs. 18.

Persi in animo est legatos mittere qui moneant Iasonem ut dolos Aeetae caveat neve cum iis arma conserere instituat, qui tantum periculum propter se susceperint:

se primum Haemoniis hortatum [ea] vellera terris
reddere et exuvias pecudis dimittere sacrae:
hinc odium et tanti venisse exordia belli.

De vellere illo nullam adhuc Perses fecit mentionem. Quare expungatur pronomen molestissimum quod uncinis inclusi. Iam Heinsius maluit hortatum vellera vel hortatum et vellera, quod ab editoribus neglectum video. Etiam is qui librum Monacensem ex Vaticano descripsit, ea omisit.

Suspicor in antiquo exemplo, unde nostra recensio fluxit, substantivo vellera adscriptum fuisse adiectivum quale est aurea vel Phrixea (vs. 150, VIII 267), cuius syllabas posteriores scriba nescio quis iusto curiosior in textum insinuaverit.

Ad vs. 39.

Neque enim plaga gentibus ulla
ditior: aeterno quamquam Maeotia pubes
Marte cadat, pingui numquam tamen ubere defit
quod geminas arctos magnumque quod impleat anguem.

Langen, cui Bury assentitur, pro defit scribit desit, coniunctivum cadat non a quamquam pendere contendens, cum ex tota sententia appareat nolle Valerium quod re vera fiat narrare, sed sumere aliquid quod fieri possit. Coniectura prorsus est reicienda; nam inserit notionem a poetae mente alienissimam. Omnium enim regionum Ponticam multitudine hominum maxime abundare Valerius comprobare sibi visus est duabus rebus quarum utraque certa auctorum fide nitebatur: bellis scilicet assiduis et incolarum frequentia procedente tempore minime extenuata. Ovidius, quem sedulo lectum a nostro esse constat (vide e. g. quot locis similitudinem vel imitationem observaverint Schenkl p. 370 et Summers p. 37 sqq.), nimius est in querendo de Getis male pacatis ceterisque gentibus „quae sibi non rapto vivere turpe putent" (Trist. V 10_{16}). Itaque coniunctionis quamquam aliam hic esse rationem atque sit in lib. III 507, V 374, VIII 205, Verg. Aen. VI 394, compluribus locis Taciteis ubi item coniunctivum habet adiunctum, nego atque pernego.

Ad vs. 45.

In enumerandis Scythiae regibus qui contra Colchos arma sumpserunt, primus recensetur Anausis, propter Styrum Albanum sibi generum praelatum Aeetae iam pridem infensus,

> nescius heu, quanti thalamos ascendere monstri
> arserit atque urbes maneat qui terror Achaeas,
> gratior ipse deis orbaque beatior aula.

Legerim accedere. Thalamos ascendere apto sensu caret, nisi thalamos intellegimus torum genialem. Quam significationem, licet in omnibus lexicis inveniatur, tamen ipsis scriptoribus Romanis notam non fuisse certo mihi persuasi. Nullius pretii sunt quae ex Propertio promuntur exempla III

7_{14} (Paridi se tradidit Helena „cum Menelaeo surgeret e thalamo") et IV 6_{49}, ubi deinceps commemorantur „thyius thalamus" i. e. cubiculum dormitorium, deinde „Oricia terebinthus" i. e. lectus ex terebintho confectus, postremo „pluma versicolor" i. e. cervical.

Similis corruptela recurrit apud Val. II 283: Hypsipyle non audet „patrios furtis accedere saltus"; accendere exhibent codices omnes. I 285 discedere servavit Monacensis, in ceteris libris est discendere vel descendere.

C et s in Vaticano saepius confunduntur: I 540 capescere, III 519 actumque, IV 220 transsendere (quod correxit manus prima), 548 capescit. Sic III 411 „ubi puniceas oriens ascenderit undas" Burmannus accenderit coniecit, fortasse recte.

Ad vs. 86.

Degeneresque ruunt Sindi glomerantque paterno
crimine nunc etiam metuentes verbera turmas.

Burmannum rem acu tetigisse cum explicaret degeneres „servili origine, non ingenua", luculenter apparet ex Plin. IV 80: „Ab (Histro) in plenum quidem omnes Scytharum sunt gentes, variae tamen litori adposita tenuere, alias Getae... alias Scythae degeneres et a servis orti aut Trogodytae."

Ad vs. 188.

Hinc barbarici glomerantur ovatus,
hinc gemitus, mixtaeque virum cum pulvere vitae.

Male Pius: „Vitae, corpora vitalia quidem sed vulnere strata"; cui tamen adstipulati sunt I. A. Wagner et Langen. Unus Caussin sensisse videtur poetam etiam in ultimo versu Homeri fuisse memorem, qui haec cecinit (Δ 450 sq.):

ἔνθα δ'ἅμ' οἰμωγή τε καὶ εὐχωλὴ πέλεν ἀνδρῶν
ὀλλύντων τε καὶ ὀλλυμένων, ῥέε δ'αἵματι γαῖα.

Vitam enim sanguinem interpretatur, quod nimis audacis est neque satis confirmatur loco Verg. Aen. IX 349 „purpuream vomit ille animam". Ego vitam accipio: supremum halitum qui errat in ore morientis. Ut alii poetae spiritum vel animam vel vitam exhalatam effundi fecerunt in vacuas aures, sic virorum qui in pulvere animam reddunt, vita cum pulvere misceri dicitur. Cf. Verg. Aen. IV 705, X 819 sq., XI 831, XII 952.

Longius etiam processit Vergilius, cum umbras mortuorum vocaret tenuis sine corpore vitas (Aen. VI 292).

Ad vs. 213 sq.

Castor deiecto Gela ipse in equum eius insiluit, quo conspecto Medores frater occisi superos sic voce precatur:

Hunc age vel caeso comitem me reddite fratri
primus et hic nostra sonipes cadet impius hasta,
credita qui misero non rettulit arma parenti e. q. s.

Vs. 214 optime Schenklium et in at correxisse non est quod multis verbis demonstrem. In versu superiore explicando minime satisfaciunt editores, quorum pars non sine magna duritie ad hunc age audiendum putat 'sinite me interficere' vel tale quid, alii nunc age vel hunc ego scripserunt. Quid poeta voluerit, plane obscuravit Baehrens sic coniciendo:

nunc age vel caeso comitem me reddite fratri,
primus vel nostra sonipes cadat impius hasta.

Facile assentimur Langenio, sententiam requiri qualis exstet apud Ovid. Met. III 58 sq.:

'aut ultor vestrae, fidissima corpora, mortis
aut comes' inquit 'ero'.

Eum vero sensum in ipso quod traditur inesse quivis videt, modo recte verba iungantur: age, hunc vel me (aut hunc aut me) comitem reddite caeso fratri.

Ad vs. 230.

Castor novus eques per densos pugnantium ordines pervehitur

fulmineumque viris profundens ingerit ensem
huc alternus et huc.

Vat. profundis, quod nihili est; in libro Carrionis legebatur proturbans. Lectionem profundens, quam Schenkl ex Monacensi revocavit, multi ut vix sanam notarunt. Si quid mutandum, mallem procumbens quam quod Thilo proposuit propendens, cum illo verbo actio iterata multo melius indicetur, cf. Verg. Aen. V 198. Sed nescio an sic ipsum poetam emendaremus; nam apte Schenkl comparavit locutiones fundere fulmina, lumina, radios. Obiectum igitur participii est ensem, non viros, quos putat Langen.

Nil me movet quod verbum profundere primam corripere solet. Non semel Valerius usitatam prosodiam variavit, cf. quae adnotavi ad V 321. Adde quod apud Catullum (LXIV 203) eiusdem vocabuli o productam videmus.

Ad vss. 256—264.

Impulit adverso praeceps equus Onchea conto
nequiquam totis revocantem viribus armos:
in latus accedit sonipes, accedit et ipse
frigidus; arma cadunt, rorat procul ultima cuspis:
qualem populeae fidentem nexibus umbrae
siquis avem summi deducat ab aere rami,
ante manu tacita cui plurima crevit harundo;

illa dolis viscoque super correpta sequaci
implorat ramos atque irrita concitat alas.

Locum vexatissimum fuere qui ita acciperent ut Oncheus lapso equo ipse in hastam suam incidisse narraretur; sic Burmannus et I. A. Wagner. Quanto melius iam Pius, qui intellexit illa adverso conto ab impulit verbo divelli non posse, pro dativo igitur esse habenda. Errat tamen in eo quod Onchea in Castoris hastam irruentem facit, cum appareat ex vs. 229 sq. Tyndaridem non gestasse contum vel hastam longam, quae Sarmatis in usu erat, sed gladium et iacula. Verum vidit Langen: Oncheus enim Colchus est, qui ab equo, quem retinere non iam potest, in adversum contum Scythicum invitus impellitur.

Verba in latus accedit sonipes varie tentarunt. Sensum certe tolerabilem Bury constituit, pro priore accedit scribi iubens ecce cadit; vereor tamen ut in illo vocabulo mendum lateat. Parum proficitur si Koestlinium secuti post latus distinguimus: totis revocantem viribus armos in latus; accedit sonipes cett. („das Ross kommt heran, er selbst kommt heran in Todesangst"). Vulgata interpunctione servata plane idem est sensus; ad in latus accedit conferantur quae observavi ad V 211.

Verum hoc gravius, quod comparatio quae sequitur, cum praecedentibus nullo vinculo cohaeret. Frustra remedium quaesiverunt Thilo post vs. 258, Langen post vs. 257 quaedam intercidisse suspicati. Quaecumque excusant viri docti, comparatio ad virum transfixum et hasta sublevatum pertinens cum illis quae de Oncheo narrata sunt, nullo modo convenit.

Libere dicam quod sentio. Persuasum mihi est vss. 260—264 in libris nostris non suo loco legi. Transponendi sunt post vs. 244, quem locum ita constituo:

Campesus impacta latus inter et ilia quercu
tollitur ac mediam moriens descendit in hastam,
qualem populeae fidentem nexibus umbrae
siquis avem summi deducat ab aere rami e. q. s.

Optime hasta longissima, qua sublatus homo moribundus paulatim defluit, cum aucupis harundine comparatur. Nec non vs. 252 „seminecem Taxes Hypanin vehit" tum demum propter nimiam brevitatem culpandus non est, si prior descriptio proxime antecessit.

Ad vs. 417.

Ariasmenus curribus suis falcatis ingentem fecit stragem Colchorum, donec Pallas aegida cum Medusae capite terribili equis ostentavit. Qui visu turbati in suam aciem se converterunt ibique dominorum funera passim ediderunt. [revinctos

Haut usquam Colchorum animi: neque in peste
tela, sed implicitos miseraque in peste revinctos
confodiunt.

Versum 417 foede depravatum esse nemo non videt, cum extrema pars versus sequentis a librario neglegenti huc assumpta sit neque verba quae sunt haut usquam Colchorum animi facilem habeant explicatum. Thilo verbis illis virtutis exhibendae copiam Colchis defuisse parum dilucide significari credidit. Sic iam Burmannus universam loci sententiam exposuerat: „non opus Colchis fuisse animis, id est animose pugnare, aut tela iacere in hostes adversos, sed confodiunt illos deprensos et implicitos inter currus suos." Meo quidem iudicio illis haut usquam Colchorum animi alius inesse sensus non potest nisi hic a loco nostro cum maxime alienus: Colchos animi defecerunt. Quae Baehrens et Bury excogitarunt haut moti et haut quassi, propterea vera esse nequeunt, quia

nulla causa erat cur Colchi animo perturbarentur, cum periculum quo ipsi perterriti erant, in hostes transferretur.

Quod ad sententiam, non inepte Heinsius: exsultant Colchorum animi, quod tamen a litteris traditis nimis recedit. Ego quin poeta scripserit augescunt, ne punctum quidem temporis dubito. Ansam corruptelae dedit littera h, quam cum librarii vix pronuntiarent, praepostere innumeris locis aut addiderunt aut omiserunt. Saepe id etiam in Valerii codicibus factum demonstravit Schenkl l. l. p. 348.

Animi, qui accedentibus curribus (vs. 389 sqq.) ceciderant, ab ultima desperatione iam recreantur. Cf. Sall. Iug. 34 „Iugurthae Bestiaeque et ceteris, quos illa quaestio exagitabat, animi augescunt." Val. VI 279 cum Heinsio legendum est:

hinc animos acres auget magnoque doloris
turbine Gesandrum Mavors rapit.

Emendationem necessariam pro acies, quod libri exhibent, cur aspernati sint editores omnes praeter Buryum, non capio; nam 'acies animos auget' etiamsi concedamus Latine dici posse, tamen pugnant cum iis quae mox sequuntur: „ille morantes increpat." Sed haec hactenus; redeo ad vs. 417.

Ultima eius versus verba quae in Vaticano deesse vidimus, Carrio ex codice suo deprompsit: neque cura cavere. Iam antea Pius commendaverat infelicissimam Beroaldi coniecturam:

haud usquam Colchorum animi, non inclyta dextris
tela: sed implicitos e. q. s.,

ita interpretatus: „tela in manu Colchorum torpere ac hebescere videbantur; nihil habebant vividi nec robusti", quae quo pacto congruant cum sequentibus implicitos—confodiunt, intellegat qui possit. Quae in libro Carrionis fuerunt cura cavere cum iis quae antecedunt haut usquam Colchorum animi non convenire animadverterunt et alii et Thilo; „nam"

inquit „qui cavere tela non curat magnam audaciam probat". En novum argumentum quo magis etiam adducor ut credam versus initium vere a me esse restitutum. Si enim legetur:

augescunt Colchorum animi, neque cura cavere
tela, sed implicitos miseraque in peste revinctos
confodiunt,

nihil iam erit quod offendat Thilonem atque ceteros qui Burmanno et Schenklio praeeuntibus non uno modo textum mutaverunt. Itaque hunc locum in iis numerandum duco, quos in Vaticano mendose traditos Carrio ex libro suo egregie correxit. Cf. Giarratano in praef. p. XXXIII.

Tela non sunt missilia, ut Thiloni videbatur, sed falces curruum, ut vs. 509 („enses unci" vs. 400).

Ad vs. 437.

Indignatur Iuno cum videt inter regia pascua tauros flammiferos:

haec etenim Minyas ne iungere Marte peracto
monstra satis iubeat Cadmei dentibus hydri
ante diem timet et varias circumspicit artes.

Ad quae Baehrens: „datis scripsi: satis V, quod pro eo quod efflagitatur 'serendis' positum esse vix et ne vix quidem credibile est". Idem post verba dentibus hydri unum versum periisse suspicatur; nam et enuntiati subiectum (sc. 'Colchorum rex') et pugnae contra terrigenas obitae commemorationem deesse. Langenio inter monstra et satis versus videtur excidisse huius fere sententiae: (monstra) atque pugnare cum viris nascentibus ex (satis e. q. s.).

Subiectum recte restituit Schenkl, pro ante diem, quod frustra explicare conati sunt, Aeetes rescribens. Verborum autem structura quae est iungere monstra satis dentibus hydri (pro: iunctis monstris deinde dentes serere), nisi

in scirpo nodum quaerere volumus, Valerio abiudicari non potest. Expressit enim Vergilii verba (Ge. II 140):

haec loca non tauri spirantes naribus ignem
invertere satis immanis dentibus hydri.

Liberior ille usus ablativi absoluti redit apud Val. III 227, ubi cf. quae adnotavi [1]).

Breviter, ut assolet, poeta summa tantum rerum fastigia secutus pugnam terrigenarum hoc loco disertis verbis significare neglexit (ut VII 516); contra vs. 451: „tauris — et nascentibus armis".

Ad vs. 606.

In pugnae initio quamvis multos viros fortissimos praeclara facinora patrantes poeta induxerit, desideratur ipse Iason expeditionis princeps. Vs. 173 nihil nisi nomen commemoratur, neque ante vs. 546 ipse suas agere partes incipit. Videtur Valerius de industria ita rem instituisse, ut Iasonis gesta tum demum cognosceremus, cum Medea duce Iunone in moenia urbis ascendisset, ut simul viri virtutem admiraremur, simul qualibus affectibus commoveretur regia virgo, cogitatione praecipere possemus. Ex eo tempore quo primum ex patriis aedibus proelii spectatrix processit, Medea animo legentis ubique praesens est.

Haec si reputaverimus, iam liquebit quid de Baehrensii coniectura, quam mox proferam, sit statuendum. Is enim ad versus qui Iasona describunt:

ora sub excelso iamdudum vertice coni
saeva micant cursuque ardescit nec tibi, Perse,
nec tibi, virgo, iubae laetabile sidus Achivae,

1) Baehrens in hac re parum sibi constat, ut qui lib. III 671 („agmina ferro plura metam") coniecerit: agmina ferro rupta metam (pro: demessa rumpam).

haec adnotavit: „virgo sine dubio corruptum est. latet nomen ducis alicuius hostilis." Quod si verum esset, exspectaremus casum quendam indicari qui et Persen et ignotum illum ducem perculisset. Nunc vero, cum Perses ponatur pro toto exercitu cui praeest Perses, altero ducis addito nomine opus non est. Persi, cui Iasonis virtutem nocere cuivis apertum est, opponitur virgo Medea, quam et ipsam fortitudine Achivi infelicem futuram iam nunc poeta tectis verbis praenuntiat.

Ad vs. 745.

Pallas ut Persen, qui moriturus in medios hostes se immisit, in spem imperii reservet,

atro nebulam diffundit amictu
stridentesque viri circum caput amovet hastas.

Atro amictu non pro atro amictu induta positum est, ut I. A. Wagner putat, neque, quem miro modo vult Langen, ablativus loci, sed qualitatis. Nebulam atro amictu intellege nebulam quae atrum Persi praebet amictum. Idem est „multus nebulae amictus" Verg. Aen. I 412.

Simillimam constructionem vide Val. III 90:

caeruleo veluti cum Iuppiter agmine nubem
constituit.

LIBER VII.

Ad vs. 163.

Iuno de Medeae animo nimis duro necdum amori Iasonis indulgenti conquesta iterum opem Veneris implorat:

i, precor, atque istum, quo me frustratur, amorem
vince, precor, patriis ut tandem evadere tectis
audeat atque meum casu defendere ab omni
Aesoniden.

In his versibus non me primum haesisse video. Precor bis repetitum Heinsio iam displicuit, quare prior coniecit. Sandström proposuit procax, quod ipse ad Venerem rettulit — Langen virgula, quae ante patriis erat, sublata dictum vult de Medea, inepte, nam virginem pudicam ac modestam, qualem depinxit Valerius, cum tandem duobus numinibus aegre cessit, procacem vocare nullo modo licet. Minime sunt procacis quae describuntur vs. 375 sqq.

Gravior est difficultas in verbis istum, quo me frustratur, amorem vince. Langen interpretatur quasi sit „vincendo in Medea excita, effice amorem Iasonis"; quod mihi quidem non probavit collatis locutionibus prosaicis iudicium vincere et vincere quinquaginta milia. Non magis arridet I. A. Wagneri explanatio: „amorem vince, evince, fac ut praevaleat, dominetur." Iam satis opinor ut intellegatur, explicare viros doctos quae explicatum nullum habeant. Attamen

istum amorem, si genitivus non additur, non potest non referri ad amorem Iasonis quem in animo Medeae excitare deae conantur. Baehrens edendo amorem vince tori locum nihilo reddidit luculentiorem. Loehbach pro precor legendum esse patris recte ille quidem perspexit, sed illa amorem vince patris, patriis e. q. s. quamquam ipsi viro docto vere Valeriana videbantur, ferri me iudice omnino nequeunt.

Amorem patris esse qui obstat Medeae quominus Iasoni totam se committat, apparet ex vss. 122 sq., 140 (ubi Loehbach sententia invita tantum pro non inseruit, Bemerk. p. 11), 309. Eum patris amorem revera vincit Venus vs. 255, cum „permixtum odiis inspirat amorem." Ex eo tempore amorem illum victum esse, non expulsum, testis est virgo ipsa, quae cum fletu gemituque medicamina Iasoni traditura etiam tunc hospitem deprecatur:

me sine et insontem misero dimitte parenti (vs. 455).

Et postquam certissimo auxilio Aesoniden adiuvit iamque in eo est ut una cum illo patriam relinquat:

ne crede, pater, non carior ille est,
quem sequimur (VIII 12).

Quae cum ita sint, patris quin vera sit lectio, nemini iam dubium fore confido. Certa igitur haec sunt:

i, precor, atque istum, quo me frustratur, amorem
vince patris ..... ut tandem evadere tectis
audeat e. q. s.

Vocabulum quod punctis indicavi, adiectivum esse debet aut ad Medeam aut ad tecta pertinens. Cogitavi tacitis, quod et litterarum similitudine commendatur et coll. vs. 380 sq.

Sic enim rem mihi fingo. Primum precor ex versu priore irrepsit, deinde librarius vel corrector ex duobus adiectivis (nam patriis pro patris legere metro cogi sibi vide-

batur) id elegit, quo de eadem re poetam usum esse meminerat vs. 440 [1]).

Ad vs. 165 sqq.

Quin illa sacro, quo freta, veneno
illum etiam totis adstantem noctibus anguem,
qui nemus omne suum, quique aurea (respice porro)
vellera tot spiris circum, tot ductibus implet,
fallat et in somnos ingenti solvat ab orno.

Ultimus versus in libris sic traditur: solvat et in e. q. s. Repetitionem absurdam frustra defendere conatus est Koestlin (Philol. vol. 48 p. 669) collato zeugmate quod legitur lib. VI 390 sq. Cum de manu poetae restituenda desperandum videatur, Loehbachii lectionem recepi, quae probabilitate certe non caret.

Non minus molestum est duplex pronomen in initio sententiae. Quin immo suspicatur Langen; Postgate et Bury ipsum scribunt in vs. 166. Equidem vs. 165 illa in ipsa corrigere malim, ut Medea ipsa suum draconem (vs. 550), cui ex latebris excitato pabula porrigere ante solebat (I 61 sqq., cf. VIII 62), tunc cantu magico consopivisse atque expilasse dicatur. De ille et ipse pronominum confusione cf. Schenkl p. 355.

Ad vs. 171.

Tum Venus aligerum mater sic fatur Amorum.

Quia in praegressis iam de Venere sermo fuit, miramur tanta verborum ambage deam iterum designari: aut nomen simpliciter positum exspectamus aut epitheton. Vocabulum

1) Iterum locum considerans dubito an praestet coniectura quam v. cl. Damsté mecum communicavit: vince tuo, patriis cett.

Venus ex glossa originem habere manifestum est. Baehrens contra rescripsit, Giarratano edidit tum vero, quae copulatio loco nostro vix apta videtur (cf. e. g. vs. 475, VI 469, 613, Ovid. Met. VI 313, apud Vergilium passim). Quid si legamus tum tenera, coll. Ovid. Am. I 6_{11}:

risit, ut audirem, tenera cum matre Cupido.

Ad vs. 226.

Venus in Circes speciem induta in lecto Medeae improvisa consedit. Quam virgo curis et cogitationibus, quas dies discedens in animo reliquerat, subito excussa de longa absentia graviter increpuit. Dea autem plura loqui eam non passa: tu, inquit,

tu nunc mihi causa viarum
sola: tuae venio iam pridem ignava iuventae;
cetera parce queri, neu me meliora secutam
argue; quippe etiam repetentur munera divum.
omnibus hunc potius communem animantibus orbem
communes et crede deos e. q. s.

Heinsii et Burmanni coniecturas quippe ut iam reputentur et quippe, ut ne repetam iam prosae orationi magis convenire quam carmini recte iudicat Thilo, qui ipse Pii explicationem admittit, Circen his verbis significare paulo post Italiam se repetituram esse et ea quae ibi a diis accepta possideat. Eundem sensum verbis inesse putat Leo, quamquam scribere mavult munere, i. e. curru Solis (Gött. gel. Anz. 1897 p. 971).

Versus, ut nunc quidem legitur, non modo rerum contextum turpiter interrumpit, sed plane idem dicit quod vs. 229 sq. Sanam sententiam restituere mihi visus sum ita coniciendo:

cetera parce queri, neu me meliora secutam
argue. quid tu nam reprendis munera divum?

Quid — nam pro quidnam, cf. Verg. Ecl. IX 39, Plaut. Rud. 945, Most. 248, al.

Ad vs. 394.

Medeam ex moenibus egressam horrent omnia quae circa sunt,
iamque tremens longe sequitur Venus; utque sub altas
395 pervenere trabes — — — — —
399 — — inde Venus dextrae dilapsa tenenti.

Langen haec habet ad vs. 394: „Sane v. 399 rursus eam manu tenuisse Medeam docemur." Quicumque libero iudicio hanc carminis partem perlegerit, non dubitabit quin dea, ex quo domo proficiscenti Medeae „dextram vocemque dedit" (vs. 373), usque ad id tempus quo repente nusquam apparuit, manum virginis tenere non intermiserit. Quippe, ut ubique Valerius Medeam invito animo operam suam Iasoni praestantem fingit, sic nunc Veneri ad locum constitutum manu ducenda est. Haec pugnare cum eo quod vs. 394 narratur, Langenio non assentior, nam longe verto 'op eenigen afstand' coll. Verg. Aen. II 711:

mihi parvus Iulus
sit comes, et longe servet vestigia coniux.

Eodem sensu dicitur procul Verg. Aen. X 835, al., Val. IV 166.

Ad vs. 424.

Hocine est praemium laboris — sic Iason flentem Medeam interrogat — quod a patre tuo mihi reddi decebat?
420 nec pater ille tuus tantis me opponere monstris
(quid meritum?) aut tales voluit me pendere poenas.

an iacet externa quod nunc mihi cuspide Canthus?
quodque meus vestris cecidit pro moenibus Iphis?
aut Scythiae tanta inde manus? iussisset abire
perfidus atque suis extemplo cedere regnis.

In primis versibus nec et quid locum mutasse acute vidit Zinzerlingus. Hoc igitur dicit Iason: cur genitor tuus perdere me vult? an quia Canthus et Iphis socii mei pro illius salute occubuerunt? aut Scythiae tanta inde manus? Ex ultimis sensum nullum eruo. Wagneri paraphrasis haec est: „aut Scythiae tanta inde, ex altera parte, manus, sc. cecidit". Caedem gentium Scythicarum ab Iasone cum comitibus suis amissis ullo modo aequari potuisse credat Iudaeus Apella!

Huguet ante vs. 424 lacunam statuit; Langenio post manus duo hemistichia intercidisse videntur huiusmodi sententiae: „fugisset, nisi nos in ipso discrimine auxilio venissemus".

Nisi omnia me fallunt, lenior adhibita medela locum persanabit. Verba enim depravata, quae cum sequentibus artissime cohaerent, sic emendo:

haut Scythiae tentanda manus: iussisset abire
perfidus atque suis extemplo cedere regnis.

Aeetae si iam ab initio certum atque decretum fuit, utcumque res cecidisset, vellera se non redditurum, Scythiae manus contra Minyas tentanda non erat: potius iussisset continuo ex finibus suis discedere.

Ad vs. 447.

Miraris fortasse, respondet Aeetia virgo, quod ego, externae domus regina, sola tibi, Iason, in tantis casibus adsum;

sed fatis sum victa tuis; cape munera supplex
non mea; teque iterum Pelias si perdere quaeret,

inque alios casus, alias si mittet ad urbes,
heu formae ne crede tuae.

Fatis tuis cave accipias ut fecit I. A. Wagner: „tuo mortis periculo." Quid verba sibi velint, docet Neptuni querela lib. IV 127:

maioraque sanguine nostro
vincunt fata Iovis, potior cui cura suorum est,

i. e. vincit Iuppiter quia illum superiorem fore iam dudum in fatis erat. Sic Medea fatis maioribus Iasonis manus dedit ἑκοῦσα ἀFέκοντί γε θυμῷ. Hinc iam colligitur, quid in versu sequenti poeta scripsisse putandus sit, ubi recentiorum temporum editores plerique receperunt Italorum commentum quod est nunc. Vaticani scriptura, quam Giarratano servavit, nullam me iudice habet difficultatem: cape munera, quae mea dici non possunt quia fato cogente tibi traduntur. Quod Schenkl argumentatur, vs. 481 eadem munera nostra vocari, nullius momenti est; nam illic gratia beneficii animum Iasonis commovet Medea, contra loco nostro proditionis crimen a se avertere conatur.

Ad vs. 642.

Terrigenae fratres, postquam Iason galeam incantatam in medios immisit, mutua caede sternuntur.

Stupet Aeetes ultroque furentes
ipse viros revocare cupit, sed cuncta iacebant
agmina, nec quisquam primus ruit aut super ullus
linquitur, atque hausit subito sua funera tellus.

Verba nec — linquitur I. A. Wagner sic explicat: „dici haud potuit, qui primus, qui ultimus ceciderit." Ut iam concedamus haec ita enuntiari potuisse, tamen quomodo fratres cecidissent, parum commode describeretur post illa cuncta

iacebant agmina. Quae haud scio an Heinsio causa fuerit cur pro iacebant: cadebant, coniceret. Vocabulo ruit mendum inesse suspicati Bury tulit vel fuit, Langen fugit praetulerunt. Mihi de verbi integritate non dubitandum videtur, cum optime inter se opponantur ruit — super linquitur. In voce primus latet vitium, quare legatur:

> ipse viros revocare cupit, sed cuncta iacebant
> agmina, nec quisquam iam proruit aut super ullus
> linquitur, atque hausit subito sua funera tellus.

Iam post quisquam facile omisso siglum, quod sequebatur, perperam intellectum est.

LIBER VIII.

Ad vs. 102.

Medea carum draconem carminibus suis consopitum miserabiliter alloquitur:

cede adeo inque aliis senium nunc digere lucis
immemor, oro, mei.

Locutionem insolitam senium digerere minime tutatur versus quem Langen attulit ex Statii Silvis II 3_{39}: „qui digeris ordine vitam." Heinsius pro nunc digere volebat fer degere, Burmannus nunc exige vel nunc degere, ita interpretatus: „depone exuvias tuas in aliis lucis." Non magis placet quod scripsit Bury: ique aliis senium nunc degere lucis. Immo tu corrige: egere, neque quidquam amplius desiderabis. Cf. lib. V 298 „nox — egesta metu", VIII 454 „querellis egeritur — dies." Idem est educere I 251, II 371, cf. Prop. II 9_{47}, Sil. XI 403; exigere Verg. Aen. I 75, VII 777, XI 569, Ov. Trist. III 4_{44}, Tac. Ann. III 16.

Ad vs. 252.

Mox epulas et sacra parant.

Sacra quibus nuptiae Iasonis et Medeae rite confectae sunt, cum iam perpetrata in praecedentibus versibus poeta describserit, codicum lectio, qua iterum dicuntur parari, sana esse non potest. Itaque pro sacra confidenter restituo: festa. Cf. Ov. Fast. III 199, Am. III 13_3.

Ad vs. 254.

Ubi cena nuptialis in insula Peuce paratur,

silvestria laetis

praemia venatu facili quaesita supersunt;

254 pars veribus, pars undanti despumat aeno.

Audaci zeugmate explicare solent: captam venationem alii verubus figunt vel assant, alii aeno despumant.

Primus Ph. Wagner coll. Verg. Aen. I 212 et Ge. I 296 versum 254 ita supplendum esse putavit:

pars veribus <figit trepidantia viscera acernis,

pars foliis> unda<m inge>nti despumat aeno.

Pro altero versu Schenkl mavult: <pars foliis lympham> undanti despumat aeno. At fugit viros doctos, verbum despumare, i. e. spumam foliis haurire, sicut apte quadrat ad decoquendum mustum, de qua re agit Vergilius in Georgicis, ita in carnem mitigandam parum convenire. Quidni despumat intransitive interpretemur, ut pars—pars non ad Argonautas referatur, sed ad superioris sententiae subiectum praemia—quaesita? Quamquam enim despumandi verbum, si intransitive usurpatur, interdum valet „spumare desinere" (cf. defervere, detumescere, detepescere, degrandinare), quae sola notio in lexicis invenitur, tamen Lucan. VI 506 despumare est 'spumam demittere' de luna incantata, quod Valerio est spumare VI 447. Notum est saepius in compositis de habere vim intendendi, cf. desudare, deservire, deverberare, deplorare, alia. Habemus igitur zeugma multo lenius illo quod plerisque statuendum est visum; nam verbum despumare ad prius membrum intellego de pingui humore ex carnibus dum in verubus torquentur effluente.

Quod autem in loco Aeneidos pars—alii sunt coqui, in errorem interpretes duxisse videtur.

Ad vs. 439 sqq.

Minyae Colchorum classe obsessi cum precibus fremituque a duce suo postulaverunt ut reddita Medea belli componendi sibi faceret potestatem. Quem urgentibus sociis cessisse tandem ubi virgo intellexit, animum eius ad beneficiorum suorum memoriam revocare conata his verbis perorat:

o utinam ergo meus pro te non omnia posset
atque aliquid dubitaret amor! quin nunc quoque quaere
* quid iubeas. heu, dure, siles! magnumque minatur
nescio quid tuus iste pudor: mene, optime quondam
Aesonide, me ferre preces et supplicis ora
fas erat — haud hoc nunc genitor putat — aut dare poenas
iam sceleris dominumque pati?' sic fata parantem
reddere dicta virum furiata mente refugit e. q. s.

Versus quem asterisco notavi, in libris legitur post vs. 459. Plerique editores Maserium secuti post 462 eum inserunt; mihi tamen a Lemairio aliisque post vs. 440 recte transpositus esse videtur.

Ne sic quidem omnia satis plana atque perspicua visa sunt Langenio, qui haec: „Non satis liquet, cur Medeam poeta, cum Iason responsurus esset, tantopere irritatam fugientemque faciat, nisi eam non iam mentis satis compotem describere voluit, quod comprobari videtur v. 449 et 450."

Quid poeta voluerit, nimis longe quaesivit vir doctus. Non video quid sit in loco nostro tam obscurum atque impeditum, modo sic interpretemur: Medeam post illa quaere quid iubeas aliquamdiu tacuisse ut responsum Iasonis exspectaret; deinde, cum nihil ille contra referret, iam fixum et statutum de se esse subito intellexisse. Huc referendum quod exclamat: „heu, dure, siles! magnumque minatur nescio quid tuus iste pudor." Ironice dictum: non tam eras verecundus tum cum

pro salute tua opem meam implorabas; nunc me iam prodi a te arguit pudor iste. Tum furore correpta sero reddere dicta parantem extemplo relinquit.

Sequitur insaniae, qua dolor repentinus virginem affecit, descriptio a librariis male habita. Quam excipiunt quattuor illi versus 464 sqq., de quibus adstipulari Langenio non possum adnotanti: „non cohaerent cum eis qui praecedunt, verum ad marginem eos adscripsisse videtur poeta postea inserturus cum aliis aliquo loco supra, ubi Medea Iasonem querelis fatigat inde a versu 415." Nihil enim impedit quominus his quoque versibus in carminis ipsius contextu olim locum fuisse statuamus. Quod ut demonstrem, initium mihi erunt ea quae tradit Apollonius Rhodius IV 338 sqq.: pactos esse Argonautas cum Absyrto ut Medea relinqueretur; inde Absyrtum a sorore in templum Dianae dolose arcessitum Iasonis manu periisse. Valerium, qui semper, quantum ad universum rerum ordinem pertinet, Apollonii vestigia fideliter sequitur, etiam mortem Absyrti ex illius exemplo narravisse consentaneum est. Cum autem poeta Graecus Colchida quin caedis particeps esset ne minimum quidem cunctantem fecisset, Flaccus, ut est humani animi investigator, tantam duritiam Medeae suae, virgini patriae ac propinquorum amantissimae, parum convenire perspexit. Ut facti atrocitatem aliquantum minueret, finxit eam ad ultimum auxilium non ante descendisse quam ad extremum malorum se pervenisse neque in caro Iasone quidquam praesidii superesse cognovisset. Ex altero igitur colloquio, quo Iasonis consilium Medea comprobavit, vs. 464 sqq. desumptos esse apparet (vs. 467 = Apoll. Rhod. IV 395). Sed iam satis est ut intellegatur iis qui Valerium opus suum imperfectum reliquisse credunt, ex ultimis versibus opinionis suae argumentum petere non licere.

THESES.

I.

Valerius Flaccus carmen suum confecit imperante Domitiano.

II.

Liv. XXIV 8_5:

> Adversus Gallum quondam provocantem ... T. Manlium ... misere maiores nostri. Eandem causam haud multis annis post fuisse non negaverim, cur M. Valerio non diffideretur adversus similiter provocantem arma capienti [Gallum ad certamen].

Verba uncinis inclusa expungantur.

III.

Liv. XXVI 12_{11}:

> Ii conscriptis ad Hannibalem litteris non libere modo sed etiam aspere, quibus non Capuam solam traditam in manum hostibus, sed se quoque et praesidium in omnis cruciatus proditos incusabant e. q. s.

Vocabulum quibus inducendum.

IV.

Min. Fel. Oct. 10:

> Unde autem vel quis ille deus unicus, solitarius, destitutus, quem non gens libera, non regna, non saltem Romana superstitio noverunt? Iudaeorum s o l a et misera gentilitas unum et ipsi deum; sed palam e. q. s.

Scribendum est: s o r d i d a.

V.

Tac. Ann. IV 74:

> Satis c o n s t a b a t auctam ei arrogantiam foedum illud in propatulo servitium spectanti.

Non opus est cum v. cl. Hartman (Anal. Tac. p. 171) scribere c o n s t a t.

VI.

August. de Civ. Dei II 1:

> Si rationi perspicuae veritatis infirmus humanae consuetudinis sensus non auderet obsistere, sed doctrinae salubri languorem suum tamquam medicinae subderet, donec divino adiutorio fide pietatis i m p e t r a n t e sanaretur, e. q. s.

Legendum: i n t r a n t e.

VII.

Val. Fl. III 19:

> cur talia passus
> arma, quid hospitiis iunctas concurrere dextras
> Iuppiter? unde t u b a e nocturnaque movit Erinys?

Scribere praestat: t u b a m.

VIII.

Ibid. V 484:

sceptra tui toto Pelias sub numine Phoebi
maxima sorte tenens, totque illa cremantia divos
oppida, tot vigili pulcherrima flumina cornu.

Legatur: totque illustrantia clivos.

IX.

Lucr. V 1364:

arboribus quoniam bacae glandesque caducae
tempestiva dabant pullorum examina subter.

Male vertit Munro: „swarms of young shoots"; nam examina sunt germina, cf. exigere Cels. V 28, Colum. III 2_6.

X.

Iuven. IX vs. 48 sq. iure damnavit Ribbeck (der echte und der unechte Iuvenal p. 133).

XI.

Pind. Nem. VII 59:

Θεαρίων, τὶν δ' ἐοικότα καιρὸν ὄλβου
δίδωσι (Μοῖρα), τόλμαν τε κλεῶν ἀραμένῳ
σύνεσις οὐκ ἀποβλάπτει φρενῶν.

Pro ἀραμένῳ cum Bergkio legendum est ἐραμένῳ.

XII.

Soph. Phil. 650:

φύλλον τί μοι πάρεστιν, ᾧ μάλιστ' ἀεὶ
κοιμῶ τόδ' ἕλκος, ὥστε πρᾴνειν πάνυ.

Corrigendum: βραχύ.

XIII.

Eur. El. 508:

ἀνόνηθ' · ὅμως γοῦν τοῦτο γ' οὐκ ἠνεσχόμην.

Legendum:

ἀνόνηθ' · ὅμως δ' οὐ τοῦτο γ' οὐκ ἠνεσχόμην.

XIV.

Thuc. II 37_3:

ἀνεπαχθῶς δὲ τὰ ἴδια προσομιλοῦντες τὰ δημόσια διὰ δέος μάλιστα οὐ παρανομοῦμεν, τῶν τε αἰ ἐν ἀρχῇ ὄντων ἀκροάσει καὶ τῶν νόμων κτέ.

Verba διὰ δέος transponenda sunt post ἀκροάσει καί.

XV.

Diod. Sic. XIII 92:

ὁ γὰρ δῆμος καὶ πάλαι μισῶν τοὺς στρατηγοὺς . . . τοὺς μὲν ἔλυσε τῆς ἀρχῆς, ἑτέρους δ' εἵλετο στρατηγούς.

Scribendum est pro ἔλυσε: ἔπαυσε.

XVI.

Xen. Cyrop. IV 1_3:

(Χρυσάντας) ἔφθασεν ἔξω βελῶν τὴν τάξιν ποιήσας πρὶν τοὺς πολεμίους καταυοῆσαι . . . ὥστε αὐτός [τε] ἀβλαβὴς καὶ τοὺς αὐτοῦ ἄνδρας ἀβλαβεῖς διὰ τὸ πείθεσθαι παρέχεται.

Inclusi additamentum.

XVII.

Ibid. IV 5_6:

ὥστε τοῦ λοιποῦ οὐδὲ βουλόμενος ἂν ηὖρες ῥᾳδίως τὸν νύκτωρ πορευόμενον.

Immo πορευσόμενον.

XVIII.

Schol. Iliad. Σ 22 (Dind. tom. II):

Ζωΐλος δέ φησιν ἄτοπον νῦν εἰδέναι τὸν Ἀχιλλέα· προειδέναι τε γὰρ ἐχρῆν ὅτι κοινοὶ οἱ πολεμικοὶ κίνδυνοι κτέ.

Corrige: εἰκέναι.

XIX.

In altera hypothesi ad Dem. de falsa leg. p. 336 s. f.:

καὶ ὅπου ἄν ὄντα πύθωνται Φίλιππον, δεῖ αὐτοὺς ἀπελθεῖν καὶ ἐκεῖσε τοὺς ὅρκους λαβεῖν.

Transponenda sunt καὶ ἐκεῖσε, ut legatur ἐκεῖσε καί.

XX.

Errat v. d. H. Brunnhofer, ubi in libro qui inscribitur „Homerische Rätsel" p. 19 vocem ἀλκή in Iliad. V 532 et VIII 140 a stirpe ark (canere, laudare) derivandum putat.

XXI.

Quae tradit Thucydides (I 89—93) de Lacedaemoniis postulantibus ne Athenarum moenia reficerentur, immerito in suspicionem vocavit Beloch G. G. I 458.

XXII.

In locutionibus quae sunt 'patres produnt interregem' et 'patres auctores fiunt' vocabulo patres designantur senatores.

XXIII.

Ten onrechte is aan Democritus verweten dat hij zijne ethische beschouwingen niet met zijne physica in verband heeft gebracht.

This book may be kept

FOURTEEN DAYS

A fine will be charged for each day this book is kept overtime.

Drawn	Returned	Drawn	Returned

873.3K4
R255K
Ob.

Renkema, E.H.

Observationes, etc.

Call No.

873.3K4
R 255 K
Ob.

873.3K4
R 255 K
Ob.

Ac.No.31463

COLUMBIA COLLEGE LIBRARY
DUBUQUE, IOWA


P9-CDN-725